POLONIA

FOELIX

HENRICO FRANCO

VALESIO REGNANTE,

tantoperè exoptato.

Etienne Forcadel

STEPHANO FORCATVLO

IVRISCONS. AVTORE.

LVGDVNI,

Apud Gulielmum Rouilliun.

M. D. LXXIIII.

PAVLO FVXIO CARAMANIO, PRIVATO REGIS FRANCORVM CONSILIARIO, Stephanus Forcatulus Iurisconf. S.

MIrabuntur plerique, quòd ego è Iurisperito tam citò architectus euaserim: satis quidem magna fiducia in edendo artis obortæ tyrocinio. ausus namq; sum nouam moliri Poloniam, erutis prius veterum monumentis, vnde materia cæsa abundè suppetiit ad extruendum vrbes arcesq; cœlo proximas: aut, si mauis, ad detegendũ eas, quas obliuio immanis obruerat. Illarũ fabricæ vix vllus æquus arbiter, qualem te suspicio & prædico, excelsam Cyri regis domum prætulerit, quam in Medorũ agro Memnon fecit eximiis lapidibus auro vinctis & impendio elaboratis, sed iampridem dissipatis ac puluere tantùm aut nomine extantibus: si modò magnæ rei nõ ita magnum opus in gratiam Henrici Franci Valesij Polonorum Regis à me elucubratũ benignè aspexeris. Sic efficies

profectò, ne me insumpti laboris vnquã pœniteat, atq; vt ædificandi dulcedine magis atque magis illectus, eo vsque perueniam, quò doctrinæ tuæ & industriæ fama spargitur: longè vltra Anglos & Venetos, ad quos pro Carolo nono Francorum Rege legationem pari fide & grauitate obiuisti, & fœderis inter principes arctißimi fundamenta iecisti. Vt taceam iuris Romani cognitionem, quæ te interprete, & me teste, in Gallia pridem claruit. Cum enim tu semel Iurisprudentiæ fores aperuisses, dici nõ potest quanta nobilitas certatim introierit. Tandem meritò factum est, vt à prospera legũ explicatione ad leges in priuato Regis consilio sanciendas auocareris, tanquàm Fuxesium Comitum familiæ regale decus, si quis velit ad maiorum tuorum imagines & egregia facinora recurrere. Proinde sicubi Polonia, quam tibi exhibeo, dedo, dedico, hians, obliqua, vel scabra videbitur, certè eueniet te viro Pontifice opitulante, &, quicquid est, ad prudentiæ comitatisq; tuæ perpendiculum reuocante, vt solito melius coagmentetur, fulciatur, & firmetur: adeò quidem, vt nec Moschi vicini, nec Tartari crudelioris, id est, inuidi cuiusquam atque maleuoli, nec denique temporis vtroque violentioris iniuriam labémque pertimescat. Vale.

Tolosæ pridie Idus Martias, in anno reparatæ salutis

1574.

CLAVDIO A' PRATO LVGDVNENSI, CONSILIARIO REGIO, STEPHANVS FORCATVLVS S.

IVrisprudentiam mihi iratam habeam, nisi Poloniam fœlicem vulgaturus editionis periculum cunctatione aliqua redimere decreuissem, cùm primùm Lugduno tuas accepi literas, quas ad decimumsextũ Calendas Ianuarias ad me dedisti plenas venustatis & beneuolentiæ. Itaque instauraui procliuius desiderium meum de rebus Polonicis nonnihil scribendi, quo quidem æstate superiore vehementer exarseram: dum tota penè Gallia non minus Canicula sydere, aut Henrici Franci Polonorum Regis luce & splendore, quàm accensis lætitiæ publicæ causa de more ignibus colluceret. fecisti enim animum mihi, alioquin occupato in Iuris ciuilis enarratione: in qua tu olim ita profecisti, vt non tam aurum Tolosanum, quod mihi eleganti tua epistola commemoras, quàm prosperrimæ Iurisprudentiæ & Musarũ omnium gemmas hinc abstulisse videaris pro Reipub. Lugdunensis ornamento: quæ te ciue & iudice cõsiliario sibi mihíque mirum in modum placet, necnon singulari moderatione Nerij Torueonis publicorum iudiciorum Præfecti doctißimi, cuius tribunal non scopulum reorum, vt L. Caßij Prætoris Romani, sed innocentię portum tutißimum, te præcipuè aßidente, libenter voco. Quare hoc scripto velut syngrapha me tibi non mediocriter obstrictum mea manu bona fide significo, ac demum obsequij erga te mei propensionem longè latéque testatum iri confido.

Vale. Tolosæ, Idibus Martiis in anno reparatæ salutis 1574.

CAROLO IX. FRANCORVM REGI.

Quid dabis, ipse tui fratris, Rex maxime, regnum
Si confine tuo fecero? vera loquor.
Ductilis esse tuo iam Galla Polonia nutu
Cœpit, & hanc penna téque per astra feram.

Ioanni Monluco, Valentiæ Cauarum Episcopo Caroli IX. Francorum Regis apud Polonos legato, Calend. Aug. anno 1573.

Interpres Monluce Dei, regúmque potentum,
Cur cupis Andegauum tam procul ire Ducem?
E Duce Rex fiet. sic faris: sed tamen heros
Liliger humano plus Duce præstat humi.
Musarum spoliis tu fulges, Sarmata nostris:
Sarmata qui regno, sed mage Rege viget.
Hic ferro & ditione polum iam tangit, & auro
Celtica tinxisset secula: redde Ducem.
Trans Moschum Thracémque feras: nil proficis, ille
Conditus in Francûm pectore semper erit.

AD POLONIAM.

Florida melle vales, & messe, Polonia, nunc Rex
Te beat, euge, quis est? nil pete, Gallus adest.

POLONIA FOELIX

REGNANTE HENRICO

Franco Valesio, Dei gratia Regi Poloniæ, magno Duci Lituaniæ, Andegauorum, Prußiæ, Rußiæ, Moscouiæ, Samogiciæ, Kiiouiæ, Voliniæ, Liuoniæ, &c.

QVEM

Stephanus Forcatulus Tolosæ leges ciuiles publicè profitens salutat Cal. Ianuariis anno 1574.

SI adfuissem cùm primùm legati sceptrum Polonię tibi obtulerunt, serenissime Princeps, illos propter tam iucundum nuntium palmarum foliis ac fructu, nucibus aliísque bellariis hilariter sparsissem, renouato priscorũ Atheniensium more, qui oratores plausibiles aliunde missos similiter exceperunt[a]: forsitan quoque (vt est audax lętitia) te inter aurea lilia educatum, floribus & odoribus leniter perfudissem. Te inquam, cœlitum comitiis optimatum suffragio, populi denique vnanimis mirabili desiderio & consensione, Regem Polonię in absentia designatũ, & nunc faustis vocibus conclamatum. Ex quo in Gallia gaudium ingens gliscere cœpit accensis passim per oppida pręcipua ignibus: quibus inspectis, ac si cœlestem flammã hausissem, ad tibi cõgratulandum reíque publ.

a Suidas in dictione καταχύματα.

Polonicæ confestim incensus fui,& enixè studui. Nam quid aliud Poloni omnes de te expectare possunt, quàm generosum ac humanum Principem è Gallię gubernaculis modò reuocatum, quę Rex Carolus nonus inuictissimus frater tuus tibi cõsultissimè crediderat, in hostes audaciam, in ciues benignitatem, inter vtrosque prudentiam & moderationem exercenti? Ita vt quàuis iuuenis tantum decus assequaris, serò tamen indeptus videri queas pro commodo & ornamento Poloniç. Planè neminem fore existimo, tam callidè inuidum, qui tibi dormienti appingat vrbes ductante fortuna rete ingredientes, sicut accidit Attico duci Timotheo [b], interim eludenti suę fœlicitatis suggillationem, cum ex tempore respondisset à se in vigilia multò pręstantiora pręstitum iri. Atqui dum Polonia diuinitus persuasa te Regẽ per legatos salutauit, tu in belli cõsiliis capiundis dandisque non semel pernoctans in infesta obsidione versabaris, pruinę ęstúsq; iuxtà patiens, militis & ducis partes ęquè sustinens, in cunis penè inter arma & leges imperiis stabiliendis apprimè necessarias ad vnguem instructus & institutus. Sic perfecisti paulatim, vt fortuna honoris tui causa cum virtute redierit in gratiã, & te longè absentem, regno amplissimo ac nobilissimo donari curauerit, & per legatos lectissimos accersiri. Quibus quidem nihil opus fuit caduceo, olea, vel verbena, vt sancti & inuiolabiles antiquo ritu intelligerẽtur, cùm ab omnibus Gallis honorificè & comiter accepti fuerint. Illis etiam verbenæ loco, qua maximè herba Galli olim sortiri futuráque pędicere consueuerant [c], non defuit solertia capiundę coniecturę: protinus enim oris tui decorem & maiestatem

b Plutarch. in Apopht.

c Plinius libro 25. c. 9.

maiestatem contemplati, vaticinati sunt te pro certo Poloniç, vt Galliç prosperũ & charum fore. Nec te frustrà Regis imperantis fratrem & Regis alterius vita functi filiũ è septem heroibus splendidissimis, optione proposita, numinis instinctu electum & euocatũ, sicut contigisse scimus Dario Hystaspis filio; cum prę reliquis sex Persarum principibus diadema obtinuit: nisi quòd septimus disceptantium Darius callido cõmento rerum potitus fertur. Nam cum omnes vnà pepigissent, vti die statuta equos ipsi suos ante regiam perducerent, & demum honorem ei de septem deferrent, cuius equus albente aurora primus hinnitũ edidisset, tunc persuasus notissimo artificio Oëbari satellitis Darij equus, non à quouis Rhetorum, vt quidem suspicor, illicò tanquã ingentis litis arbiter, hinnitu solem pręuertens, dominum suum fraudis nescius Regem declarauit. Tu verò votis & calculis sapiẽtissimorum & clarissimorũ Pontificum, Palatinorúmque, sex alios regię stirpis & indolis competitores ex ęquo bonóque pręcessisti. Et, vt reor, eorum iam perfecit ęquanimitas & candor ingenuus, vt vltrò etiam tibi cessisse agnoscantur. Non secus ac Homericus ille Achilles [d] ab Hectore aduersariorum strenuissimo mauult quàm à quouis superari:

τῷ κ' ἀγαθὸς μὲν ἔπεφν' ἀγαθὸν δέκεν ἐξενάριξε. Id est,

Ita fortis quidem interficeret, fortémque expoliaret.

Quocirca Scythę testati narrantur, si cuiquam exterorum Regum parendum veniret, se Dario prę cęteris parituros propter ipsius industriam & inuictum robur. Et vtique inuiti tandem ei submisissent caput indomitum, nisi Sarmatę Gelonis & Budinis comitati Scythi-

d Iliados libro 21.

cam libertatem [e] armis asseruissent, quemadmodum &
tibi Sarmaticam tueri perplacet. Vel ad hoc ne finitimis
externum principem Polonici flamines, equestrísque ac
Senatorij ordines viri prętulisse sine causa censeantur,
semper nihil non domesticum rati, quod virtuti esset
coniunctissimum. Proinde sub flexu Tanais fluuij, qui
è Ripheis montibus pręceps, & pre celeritate glaciei ex-
pers Europā & Asiam dirimit, Alexandro Magno aras
consecrarunt, & postea C. Cęsari. Leguntur enim pari-
ter [f] καίσαρος βωμοὶ, & eiusdem nominis ciuitas inter
ostia Tanais condita extitit. Quanuis huic infensi esse
poterant, nec patrię, nec Gallię, propter imperandi stu-
dium parcere solito: illi verò quòd Scythis Europęis a-
lisque Septentrionis nationibus perniciem moliretur:
quas proculdubio inuasisset, nisi ei opportunè nunciata
fuisset Sogdianorū defectio [g]. Non igitur solus es Prin-
cipum, cui extero Sarmatę diuinos prope honores me-
ritò detulerint: nec ipsi quidem soli quondam tui simi-
libus heroibus detulerunt. Manifestius nāque est, quàm
vt à me prolixius cōmemorari deceat, Carolum Fran-
cum Ludouici VIII. regis filium, & Diui fratrem, An-
dium [h] aequè Ducem, ab Vrbano IIII. Pontifice Rom.
& posteris longissima serie assensuris obsecratum [i] im-
plorante itidem pop. Rom. & Siculo, vt Sicilię Rex esse
dignaretur, insulę, si Angliam excepero, in Europa la-
tissimae & foecundissimae, à Manfredo notho, qui Fede-
ricum II. patrem, Germanię Augustū, veneno dolóve
peremerat, occupatę. Demùm verò Carolus, commisso
ad Beneuētum oppidum prelio, ipsi parricidę mali ad-
uentus genium opperienti vitam cum regno Siculo ex-
torsit.

e Herodotus lib. 4.

f Ptolemaeus li. Geograp. 3. in Sarmatia Europae, & Ammianus lib. 22.

g Qu. Curtius lib. 7.

h Andes Caesari, Plinio Andegaui.

i Platina in uita Vrbani & Clementis 4. anno 1266.

torsit. Quòd quidem sępius tyrannide agitatū traditur,
quàm mari circumfluente. Nec quicquam in coelum pa
ratius sternit iter, quàm expulsio valida nefarij domi-
natus. Hoc nomine Hercules in Libya Antaeum, in
Hispania Geryonem elisit, & scandit sydera. Vt negari
iam nequeat, quin Sicilia iustis armis & rationibus Fran
corum parta tui Andegaui Ducatus appēdix sit & me-
ra accessio: cùm iure comparatum probetur gemmam
pretiosiorem auro accedere, vel è diuerso, aut emblem-
ma aureum viliori phialae, si mos, si domini voluntas
postulet [k] & approbet. Planè Franciae Reges post D. Lu
douicum Andium Duces titulo regis Siculi diutissimè
honestarūt: praesertim Carolus VI. Sapientis illius quinti
filius, patris imitatione, Ludouicum fratrem [l] fama vbi-
que acclamante. Quare Carolus VIII. alpes traiecit ma
gnis copiis, vt domita, sicut accidit, Neapoli, Siciliā re-
posceret, habito prius intimorum procerum & Senatus
Parisiensis praesidum integerrimorum conuentu ac con
silio, nihil temerè aut iniustè molientium: vt saltē Fran-
corum innocui manes pacarētur, quos palam superari
nescios Io. Prochyta dux nefarię cōiurationis, signo dato
pomeridiani sceleris, clam occiderat [m]. Tametsi Carolo
Italiam bello exercitam petenti (Galliae habenis tantis-
per Petro Duci Borbonio regali origine & mente claro
tutissimè creditis) nemo principum Italorum studeret
praeter Ludouicum Sfortiam Mediolani Ducem, & Pe-
trum à [n] Medicis II. principem Reipub. Florentinae, flo
ris lilij, quē in clypei gentilitiis insignibus excelsum ge-
stabat, nequaquam oblitū, & qui probè nouerat Cere-
rem apud Siculos legum & frumenti inuentione vulgò

k l. & si nō sunt. §. si. & l. seq. de auro & arg. leg. l. prae diis. §. fin. de lega. 3.

l Nicolaus Gillius in Annalibus anno 1580.

m Raphael Volaterranus libro 6. Geograph. 1283. aliis est 1281.

n Philippus Comminaeus in Carolo 8. cap. 12.

laudari,sed eos frumento quidem vti nō legibus. Quantò modestius & securius Romani defuncto Romulo Rege primo Numam Pompiliū religionis & legum cura celeberrimum à Sabinis hostibus nedum ab externis repetere non erubuerunt? Nihil perfidiosè in eum vnquam postea moliti,quo scilicet regnante nullo bello lacessiti fuerint,tanquam aurea ætate redintegrata Quiritibus. Si verò Cæsarum seriem respiciamus,D. Neruę censura vtique cōmouebimur,qui Vlpium Traianum Germanię pręsidem adoptauit,& pop.Rom.gratāte eidem imperij iura cessit[o], nec Italicę quidē originis, sed Hispanicę:& quo prior nullus alienigena imperauerat, nec post quisquam maiore fide,solertia,& clemētia imperauit,aut mitius cum Christianis egit,rescripto etiam emisso,ne de illis fas esset inquirere[p]. Idem victis Dacis, quos hodie Valacos dici putem, & Iazygibus, Danubium ponte structurę mirabilis coercuit. Sarmatas autem in fidem[q] suam recepisse contentus,legionibus Romanis,& pudori suo optimè consuluit. Non deest Galliæ suus Augustus, is qui de imperio Rom. bene meritus,Carus Narbonę genitus[r], & patrię dulcissimę non immemor Carinum filium Cæsarem futurū ad pacandas Gallias destinauit:& Sarmatas imperio Rom. infestos armis compescuit,& aliquot pręliis fatigauit,in alieno tamen solo procul à Sarmatia:vtpote cùm illi occupatis Pannoniis Illyrico imminerēt,& Thracię atque Italię[s] minarētur.Cęterùm ne longius vagetur disquisitio,Franci Imperatoris Romā accersiti,& pręconio publico decorati,adest è maioribus tuis Carolus Magnus, qui Magni cognomentum nactus meritis facilè impleuit:&

o Dion Cassius in Traiano.

p Pli.iunior lib.x. episto. Tertullia. in Apologetico cap. 2.

q Euseb. in Chronicis anno Christi 104.

r Zonaras tomo 2. & Eutropius lib.9.histor. Rom.

s Fl. Vopiscus in Cari u uit

uit:& non tantùm Gallię, sed etiam Germanię, in qua natus ostenditur,splendorem nominis sui adiecit: idcirco à Leone III. Pontifice Rom.vitę & iudicij probatissimi, in vrbe Rom. imperij corona insignitus concordi plausu[t] populi.Gaudeo quòd Carolus Rex frater tuus illius magni famam propè ęquiparet: fortè eam teget, non tanquam vmbra, sed tanquam radiis potioribus. Itaque ne tibi Polonum Regi ineptè blandiar, fatebor me non semper misereri Galliæ te suum columen interim amissurę: cum sibi quisque ab alio expectare debeat, quod in alium duriusculè patrauerit ex veteri talionis lege. Sustine quæso,Rex æquissime,tuā animaduersionem,quoad tibi detexero, & patefecero Galliam lepido astu cęterarum gentium thesauros, & exquisitas delicias sibi adsciuisse:atque adeò Catharinam Mediceam Laurentij Ducis Vrbinatis filiam, Magdalene Galla heroide coniuge auspicatè susceptam,tuam & patriæ parentem,regū multorum opificem,è media Italia sumpsisse,Charitū profectò decus longè florentissimū:

Vna trium est,animos aut habet vna trium,

vt pridem vulgaui versiculis. Nec Blāca illa Hispanica Diui Ludouici Franci Regis mater circumspecta hoc inficietur:tametsi etiamnum in pectore Francorum superstes maneat,ob præceptiones Deo cōsentaneas,quibus instillatis facilè perfecerit,vt Rex in iuuenta nil nisi pium spirans subditorum beneuolentiam optimū sibi putaret satellitium.Non aliter ac Plotina ex eadem Hispania Traiani Aug.vxor sapientissima, cui[v] defunctæ D.Hadrianus Imp.in oppido Nemauso Galliæ tēplum luculentum extruxit. Quid,quęso,facturus tam perspi-

t Platina in uita Leonis & Hadriani I.

u Aelius Spartianus in Hadriano.

cax virtutum censor, si Elisabetham sororem tuam Hispaniæ eiusdem Reginā penitus agnouisset? diuinis certè cumulasset honoribus, nisi cœlū raræ bonitatis auidum hoc sibi muneris assumpsisset, atque in numinum albo eam scripsisset, vt ita lenimentum tristitiæ Gallis Hispanísque concederet: præcipuè impacato seculo, quo Franciscum II. Regem fratrē tuum intra primas gloriæ metas intercidere vidimus: sicut videt ipse conditionem nostram ac miseratur: & fortasse collacrymaret, si beatis fas esset dolere.

Nōdum alieno ornatu tot manubiis quæsitis satiata Gallia manum iniecit in superiorem Pannoniā, & inde Elisabetham Maximiliani Aug. filiam Carolo fratri tuo Regū maximo, nihil se prius, nihil secundum habenti coniugem addixit, consecrauit. Quæ quidem quia sit, vt alibi scripsi,

— septem propè nata Triones,
Creditur humana stella reuulsa manu.

& nunc constanter asseuero, licet quotquot sydera nocte serena fronti tuæ simillima splendent, me audiāt. Nec hoc dico, quòd sciam Chamum Regem Persarum propter mirabilem magiæ & philosophiæ doctrinam Zoroastri, id est, viuentis stellæ nomine donatum [x], nec quod apud Poetam,

— de cœlo lapsa per vmbras
Stella facem ducens multa cum luce cucurrit,

& in Idæa sylua se abdidit [y], sed quia nihil cœlo magis cognatum amicúmve sit, quàm animus Deo parêre & mortalibus imperare gnarus. Quapropter gaudeo Austriacam oram eadem cœli plaga contineri, qua tuam Poloniam,

x Clemens D. Petri discipulus lib. 4. Recognitionum.

y Virgilius li. 2. Aeneid.

Poloniam, & eidem polo subiici: nēpe Aquilonio semper nobis conspicuo cum duabus stellis, Helice & Cynosura, pertinaci luce fulgentibus, & dirigentibus nautarum cursum intempesta nocte: vt ex his cōmodè possimus vtriusque Reginæ, socrus nurúsque ingenium, & studium in sedandis bellorum procellis & fluctibus colligere & metiri.

Poli autem huius [z] eò libentius mētionem feci, quòd pro cōperto mihi sit, Carolum illum Magnum Franciæ regem mundi Imperatorem mundo ipso non minorem Poloniam primùm ab eodem polo nominasse, minimè curuo in terras animo, quæ antè fuerat Sarmatia: & cœli potius conuexi fines, quàm terræ planiciem considerasse, quæquidem patria voce pole, vt aiunt, appelletur. Atqui hoc genus etymi humile, & humi repens refutat potissimum, quod vrbiū princeps & principum Poloniæ domicilium Gracchouia inter decliues cōualles & rupes sita opportunè recreet præ vllis regni campis patentibus. Namque Carolus Magnus Aug. ab ineunte ętate melioribus disciplinis accuratè excultus, in Astrologia in [a] tātum excelluit, vt laxatis quodammodo cœli recessibus astra introspiceret, & per armorum ferias non illi admodum frequentes amicioribus aulicis reserare. Cúmque iam Hispaniam vsque ad extremum Gadium littus Sarracenis pulsis asseruisset, debellatis Longobardis Italiam, tum denique Septentrionis ferocissimos populos multis præliis fregit, domuit: maximè Saxones & Hungaros [b] ad deditionē adactos per Pipinum filium, ita vt orbem terrarum terrore & fama sua impleuerit. Proinde Reges alij odorati fortunam Caroli

z Polonia unde dicta.

a Enginbardus Cancellarius in Caroli uita.

b Platina in Leone 3. Annonius 4. cap. 74

Caroli Papiæ Insubriũ degentis, vndiquaque legatos ad ipsum miserũt, vsque ab vltima Africa & Perside cum muneribus,auro,gemmis,& arte speciosis[c].Nec ipso in Germaniam reuerso defuere Veneti, Dalmatæ, Dani, venerabundi:nec Sarmatiæ legati,cum quibus in hemicyclo aureo sedens visus est benignius, quàm cum reliquis trãsegisse colloquio longiusculo.Quod aulici satis callidi eò pertinere interpretabantur,vt Imp.Sarmatas aliquãdo suæ ditionis faceret mãsuetudine, vel viribus. Aucta suspicione paulò pòst,cum Aquisgrani comitiis habitis,& facto Ducum delectu, qui prouincias singulas regerent, tripertitum exercitum distribuerit in Britones,deinde in Hungaros,& postremò in Liuones[d] tibi nunc deuotos,& tuæ Russiæ ac Lituaniæ conterminos. Et Hungaris prorsus superari pulchrũ fuit ac vtile,cum Caroli instinctu Christi militię nomẽ primò dederint[e]. Demirabatur autem Rex legatos Sarmatas supra expectationẽ disertos & vrbanos:vtpote cùm ea gens vulgò immitis & inculta putaretur instar earũ quæ Austrinũ polum vident,aut quas solemus in imis puteis videre, éasque gestus nostros ęmulari.Qualem verò legati Sarmatæ orationem habuerint,perfectè nõ assequor.Tantùm comperi obsecrasse ipsos Imperatorem nullo orbis limite regna sua coërcentem,ne se armis vellet lacessere,nec imperare aliis,nec seruire paratos:tamẽ amicitiæ nectendæ auidos esse, eámque etiam atque etiam efflagitare:itaque victis iam à Carolo Pannoniis & Liuonibus,non defore propinquos Sarmatas, qui aut amici perpetui,aut hostes euaderent.Quo animo Carolus legationẽ eiusmodi acceperit,illico declarauit.Nam

Sarmat

c Adonis Viennensis in Chronicis.

d Annonius lib. 4. de gestis Francorum. cap. 99.

e Musterus lib.4. Cosmograph.& libro 3. de Liuonia.

Sarmatiæ legatos xeniis magni pretij, de more & noua appellatione regionis honestauit: vt nimirũ Poloni imposterum dicerentur à polo nobiliore stellis salutaribus illustri, quamuis eidem subiicerentur multæ aliæ nationes Scythiæ aut Gemaniæ.Inter quas locata Polonia præcipuas vtrinque claritates & opes participat,& plus vtrauis polum suspicere creditur,vt Papinius quoque indicat[f] ad Maximum Iunium Domitiani Aug. in Dalmatia legatum scribens satis assentatoriè:

Ille vt inuicti rapidum secutus
Cæsaris fulmen, refugis amaram
Sarmatis legem dederit sub imo
Viuere cœlo.

Sic Tauri Scythiæ populi quondam sortiti sunt nomẽ, quod maximè Tauro signo cœlesti respõdeant, ex Dei arbitrio & sectione:

Ac sua cuique dedit tutelæ regna per orbem.

Subdit mox idem M.Manilius:

Taurus habet Scythicos portus.

ídque magis arridet,quàm quod suspicatur Eustathius, referens Tauricam Scythiam ad taurum, quo primùm Osiris iuncto terram prosciderit. Constat enim Osiridem Regem in sua Aegypto fruges[g] & earũ culturam excogitasse, ex quo Apis bos illic perditè coli inceperit. Ecquis præterea nescit Hispaniam omnẽ Hesperiæ nomine comprehendi ab Hespero stella solem subsequẽte in occasum,& ab Oceano Gades insulam alluente,Herculis columnis, & Caroli magni trophæis insignem? cuius soror Frestina Ariberto Herulorũ regulo nupsisse proditur:nisi verius Hildegardis Imperatricis[h]

C

f lib.4.Syluarum, Manilius lib.4. cap.1. Astronom.

g Diodorus Siculus lib.1.de Antiq.gestis.

h Musterus idem lib. 3. in Mechelburgo oppido.

è Sueuia soror fuit,deinde enixa Billungum,de quo dubites, magísne arduus an comis extiterit. Sanè Vandalis & Sarmatis ad Vistulam vsque amnem dux adscitus, aut victor ius dedit, elatus sanguine Odoacri Heruli, qui deiecto de imperij Romani culmine Augustulo Augustorum nouissimo Italiam [i] & Occidentis totius imperium inuasit, & suis sparsim militibus assignauit, quoad à Carolo Magno illud contigit instaurari. Atqui Migislaus Billungi filius degener, vbique Christianis molestissimus, mutuo in Sarmatas exarsit odio: adeò vt ipsos lacertis quas comedere crederentur nequiores palam iactaret: alludens infami conuicio ad illorum opinionem, qui Sauromatum etymum referunt ad notissimum animal pedibus nixum, serpenti alioquin versicolori persimile, in Francorum dumetis frequens: necnon in insulis Oceani Septentrionalis, ex quibus succinum manare creditur: adeò vt stillante eo ex arboribus pinei odoris lacertus humi gutta liquida inuolutus plerunque transluceat, & tumulo tam nobili delectet spectantes, ac viuat. At σαῦρος Græcè dicitur, vt Stephanus περὶ πολέων ex Ephoro retulit, indéque Amazones Sauropatides [k] vocari cœpisse, quia lacertas calcarent, vt iis vescerētur. Cum verius sit σαῦρον quoque apud Græcos piscem esse marinum testacei generis, vario colore, placidum gregali concordia, simúlque nare solitum halecum in Sarmatico mari frequentium ritu. ideo cum ματεύω, idē sit quod quæro, à quærendis sagena lacertis σαυρομάτας ἢ σαρμάτας à veteribus nominatas. Aelianus insuper de lacerto maris rubri loquens [l] aureis & argenteis lineis distincto: τῷ ὃ σαύρῳ, inquit, τῷ ἐκεῖθι δ' μὲν μῆκος. Lacer-

tam

i anno Christi 476. Paulus Diaconus li. 16. rerũ Rom.

k Idem Eustathius interpres Dionysij Cosmograph. de succino Plinius lib. 37. ca. 3.

l libro Animalium 12. cap. 25. & lib. 11. c. 27.

tam tamen Vlpianus noster maluit dicere piscem, eámque docere muria condiri [m] penoris causa. Nec verò nouum est Græca voce vel alia alienam gentem significari, præsertim Sarmaticam, cum idem Galathis, seu Gallis euenerit, propter lacteum oris candorem & sæpe animi: γαλα enim lac est Atticis, vt notat Isidorus. Et nemo ignorat Parthos, id est, exules Scythico vocabulo nuncupatos. Quãtò decentius à pisce eximiæ bonitatis origo vetus repetitur? Quemadmodum suam non est verita repetere Delphinatus Gallorũ nullibi maritima prouincia, agro Rhodano flumine post Danubium in Europa maximo, oppidis, & Senatu nobilis, à Delphino quidem regali pisce appellata, & nomen itidem transcribens in primogenitũ cuiusque Regis Franci filium, ex quo Imbertus princeps Delphinas se ditione abdicauit, & legem illam dixit [n] Philippo Valesio Regi ac posteris: mox se in cœnobium D. Dominici occuluit, vt expeditius è religionis latebra cuniculos in cœlum ageret. Vti longè ante fecerat Cazimirus vnicus Miecislai Poloniæ regis filius, [o] à matre sua Rixia Theutonica Polonis inuisa, quòd Theutonum rebus nimis faueret, Lutetiam missus tanquam ad nundinas politioris literaturæ, vbi magno quæstu morũ & doctrinæ facto, nondum satur Cluniacense monasteriũ subiit, donec conuentu procerum in vrbe Gnesna Poloniæ habito, per legatos reuocaretur, ingruenti seditioni medicaturus. Quamobrem annuente Rom. pontifice pro tonsili verticis corona Cazimirus regalem paternámque accepit, & valdè illustrauit: potissimùm in fidem recepta Schlesia diœcesi, quam Odera fluuius velut colonus findit ac

m l. 3. ff. de penu lega. Isido. li. 14. cap. 4. Etymolog.

n Anno 1349. Nicolaus Gillius in Annalibus in Philippo 6.

o Herburtus Senator Poloniæ lib. 2. Historiæ cap. 8. anno 1304.

fœcundat, nunc in Bohemici regni censum redactam, vt se tam solo quàm cœlo acquirendo idoneum præberet, Gallicæ interim comitatis & amicitiæ vsquequaque tenax: eò magis, quòd in solitudine ex antiquorum monumentis didicerat, Gallis deinde Francis arctissimam necessitudinem cum Sarmatis olim iam intercedere.

Nam, vt ab vltimis auspicer, constat Gallos Senones Brenno duce Italiam bello subegisse, & Romam simul dempta capitolij arce beneficio famelicorum anserum seruata[p]. Postmodum contra Delphos & Apollinis numen audentius quàm fœlicius pugnatum iuisse, accitis ad expeditionis societatē Gallis Scordiscis, quibus freti Romanos vlcisci decreuerant, nisi Brennus dux relicto magno belli apparatu ex ægritudine obiisset. Quare Scordisci & Boij, à quibus Bauariæ Noricum regnum tandem inchoatum prædicatur, de reditu in patriam solliciti per Thraciam & Illyricum in Sarmatiam peruenere, hospitali comitate excepti, qua olim Germani peræquè omnes cōmendabantur: ita vt aduenis victum ac domum negare nefas esse ducerent[q]. Proinde mistæ Sarmatis Gallicæ gentes, Scordisci, vt scripsit Posidonius[r], breui coaluerunt, vt præsertim obiecti ferocissimis nationibus, eas communibus armis propulsarent.

p *Titus Liuius libro 5. ab urbe condita anno ante Christum 390. Eusebius.*

q *Iulius Cæsar lib. 6. de bello Gallico.*

r *Sic Strabo refert libro 7.*

Quò fit, Rex celsissime, vt legatos tredecim, qui ad te nuper venerunt, insignia imperij Polonici adferentes, non magis ego Sarmatas esse existimem, quàm plus dimidio Gallos vestibus ornatos Sarmaticis, & quod validius persuadet, Gallica prorsus præditos industria: præcipuè Albertum Lascium legationis magnificæ coryphæum, familiæ veteris splendore, præsenti ingenio, suis erga

erga Rempub. meritis celeberrimum: qui auorum suorum semita ambulans, Franciæ rebus non minus studet, quàm solet iustitiæ. Hunc igitur absentem sic alloquor versiculis: bona venia Iurisprudentiæ repentè obortis:

Laude tua solito nunc Algida plus micat Arctos:
Laude tua, Lasci, sed micat illa minus.

Accedit Lascio Polonus alter, imò æquè ciuis, semigallus, Io. Sarius Zamoscius, Zamolxi Pythagoreo, qui in Sarmatia iura dedit, & deorū ceremonias instituit, nulla ex parte postponendus, cùm nitore sermonis multo sit superior. Non parum equidem delector huius monetæ viris, nec inuideo cuiquam Francorum id boni, quo mihi per absentiam frui non licuit. Nec obliuiscor Francos ipsos Mœotidis paludis aliquando accolas per Sarmatiam commeasse impunè, nec ibi sedes posuisse, quia fatis hortantibus Galliam Celticam quærerent. Idcirco factū suspicor, vt Sarmatæ vel robore Gallico, vel amore adducti, in Celtarum perniciem nūquam arma tulerint. Belgis certè non pepercere, & signa eousque transtulere, & lares, sicut Gratiani Aug. præceptor Ausonius Gallus Vasco aperit, describens Mosellam amnem Metensi vrbi Treuerensique in Belgico tractu proximum:

Aruáque Sauromatum quondam metata colonis:
Et tandem primis Belgarum conspicor oris.

Quem locum Ausonij ad Frācos traduxerunt alij[s], sed infœliciter, cùm Franci Belgicam præteruolauerint à primordiis, & glomere bonorum illecti vlterius festinarint. Tametsi denique Belgis diu imperauerint, potissimùm Thuringiæ ditioni, quæ nūc Lotharingia dicitur,

s *Alciatus lib. Dispunctionum 2. cap.22.*

vbi soror tua Claudia maximo Ducũ nupta, Rex præstantissime, regnum exercet pietatis & modestiæ, in qua optimus quisque pulchritudinis arcem constituit. Non taceo Sarmatas multum beneuolè præsto fuisse Francis incunabula penè regni fouẽtibus [t], peracto vixdum anno trigesimo ab inaugurato Pharamone. Et quidem in maximo rerum discrimine ac periculo, dum verè amici tanquam Lydio lapide probari solent: idque aduersus Attilam Hunnorum Regem, publicum generis humani, non modò Francorum hostem. Quo cum ad extremum conflixere Franci Comites Regis Merouæi, adiuti cõmodè Sarmatis & Lituanis [u], & Aetio Romanas Valentiniani Cæsaris legiones ductante: necnon Theodorico Visigotho, tunc regiam habente in vrbe Tolosa, iuxta cuius agrum propemodum, in campis Cathalannicis, præliatum fuit tantis animis, vt nusquam strages maior edita legatur, dãno præsertim Attilæ fuga sua insolita victoriam penes Francos Sarmatásque auxiliares confitentis, quam vix tutò in Pannonia fecunda sistere potuit, cui etiam Hungariæ nomen reliquit: tum post Italiæ infestus ac finitimis regionibus, à Sarmatis semper abstinens de industria: quippe quos iugi impatientes agnouerat. Quos verò Lituanos hodie Iornandes vetus & verax author, Gotthorum antistes, Litianos vocauit, à lita coloribus facie, qui Agathyrsi anteà, Sarmatis proximi à Pomponio Mela describuntur: ora artúsque pingere soliti, ita vt notæ venustatis causa additæ ablui nequirent, non magis vtique quàm macula quam ipsis inussit Herodotus tanquam mulieribus promiscuè vterentur, connubij certi expertes & fidei

t Anno Christi 450 in chronicis Palmerij.

u Iornandes Gothus in libro rerũ Geticarum ubi de Litianis. de Agathyrsis Mela 2. cap. 1. Herodotus 4. Munsterus lib. 4. ubi de permisso adulterio.

fidei ac pudicitiæ, perinde ac si è Platonis schola profecti essent, vt fratres omnes inuicẽ viderentur, vel potius vt neminem adgnatum haberent incerto patre geniti. Nec deest qui scripserit, hodie quoque Lituaniam riuales quosdam perpeti impunè coniuge aliena fruentes: quod ego vix mihi persuadeo: aut magnum ibi cœlibum numerum esse putem vitandæ talionis gratia. Ab Agathyrso Herculis filio orionda gens est, quem de virgine ancipitis naturæ, & semiuipera in Scythia sustulerit. Nec est quod pudeat originis post Alexandrũ Magnum, qui laudi sibi adeò duxit, quòd dracone genitus putaretur, alicuius diuinitatis argumento.

Cæterùm quo sub duce Sarmatę & Lituani pro Francis pugnantes tam procul à patria sua stipẽdia fecerint, nemo adhuc comperit: cum ipsi omnes rebus gerendis magis quàm scribendis vacarent. Tantummodo creditur centum post Attilæ cladem annis [x] Lechum gẽtem Sarmaticam dissipatam coegisse, & vrbibus castellísque dispositis muniuisse, nullo patre, nulla matre certa cognitus, vt sic populo cœlo delapsus videri posset: perinde atque Melchisedec Rex Solymæ, fortis atque hospitalis [y], Deo charissimus: nisi quòd Lecho fratrẽ Zechum Boemiæ regno præfectum accepi adfuisse, & cõpendia successuum ac periculorum participasse, nec inuicem insidias tetendisse, quemadmodum primi Romę autores Lupæ alumni, eiúsque feræ potius quàm Martis filij fecisse feruntur: atque ita vtriusque illorũ Rempubl. breui in immensum adoleuisse.

Hæc ego mihi persuaderi patior in gratiam Lechi manifestę virtutis viri licet occultę originis, atque etiam Gnesnam

x Et ita anno Christi 550. sic Herburtus lib. 1. historiæ Polonicæ ca. 2.

y Paulus ad Hebr. ca. 7.

Gnesnam vrbem claram primùm fundasse bono augurio ex nido aquilarum ibidem reperto: vnde albę aquilæ insigne Polonicum manauerit. Sed non ausim dissentire à Beroso Chaldęo, qui certius scripsit anno post inundationem vniuersi orbis CXXXI. Noam seu Ianũ patrem in Europa præfecisse Regem Samotem Cęltis, Tuysconem Sarmatiæ à Tanai fluuio ad Rhenum [z]: Tuistonem vocat Tacitus celebratum carminibus in Gęrmania antiquitus tanquã gẽtis autorẽ, & deum terra genitum, vti statim de Lecho diximus. Deindè ducẽtis aut circiter ante Lechum annis Constantius Imperator Rom. cum Zizai principe audaculo, Sarmatarum regali, belligerauit (sic enim Marcellinus vbique vocat eos qui Regem sanguine cõtingunt) quia Zizais Pannoniã Mœsiámque [a] inuasisset. Subdit quoque Vsapherũ regalem Sarmatam victo Zizai in clientelam Imperatoris venisse datis pacis obsidibus, rursúsque arma instaurasse Sarmatas ac succubuisse, nõ tamen adeò vt seruirent, sed nec profectò vt parerent. Quocirca verisimile est non defuisse illis pulchra belli facinora ante Lechũ, sed scriptores, qui ea ipsa mandarent literis. Atque vtinam à Lecho gesta extarent: ingentia verò fuisse reor, quòd hic princeps in Iustiniani Magni Aug. seculum inciderit bellica gloria, non minus quàm legũ veterum cõtracta sylua splẽdidissimi [b]: ita vt ab eius ad nos obitu colligãtur mille, plus minus, anni. Cúmque Iustinianus plerasque feroces Septẽtrionis nationes imperio Rom. hostiliter imminẽtes debellasset, nempe Gotthos & Vandalos, quemadmodum à Francis sibi antea timuerat, qui duce Theodeberto trãsgressi Alpes, Gotthos prius, mox Romanum [c] fuderant exercitum, ita omnino impacatũ Sarmaticæ iuuentæ animum veritus, arces & moles varias extruxit, quarum obiectu Sarmatas [d] procul arceret à Danubio, & Gotthos, Scythas, atque Sclauenos, vt cùm Procopio loquar. Nam Sarmatis implacabili vita in plaustro degere assuetis (aut si quod, inquit, aliud ferinum genus est hominum) perpetuò bellum excitaturis obuiam iri oportuit. Eundem victum priscæ Sarmatiæ exprobrat [e] Statius Crispino scribens:

An iuga Pannoniæ, mutatorésque domorum
Sauromatas quaties?

A Procopio idem dictum minus demiret, vtpote qui paulò inferius subdat à Celtarũ, id est, Gallorum montibus Danubium defluere, cum ab Abnoba monte Germanico oriatur intra septum sylux Herciniæ, quam nigram vocari audio, nempe multa pinu opacam: proinde cum tales nugas à seriis autoribus depromi audio,

Vltra Sauromatas [f] fugere hinc libet, & glacialem
Oceanum, cum Satyrico,

aut sicubi gentem inueniam Riphæis rupibus & Tanai fluuio inde nascenti consciam: quanuis P. Mela Sarmatis specus effoderit pro domibus sæua hyeme, & sedes similiter incertas, vbi pabula pecoris causa inuitassent, hostísve cedens aut subsequens: immemor se alibi asseruisse Borysthenẽ, qui hodie à Polonis Nepar appellatur [g], amœnissimum amnem & liquidissimũ inter Scythicos pascua læta & pisces suauissimos ossium expertes alere, iuxtáq; esse Borysthenida & Olbida oppida Græca. Illud condecorat Bion ciuis audito Athenis Theophrasto eruditus, qui primus vario orationis

[z] Berosus lib. 4. Antiquit. Cornel. Tacitus lib. de moribus Germanorũ.

[a] Ammianus Marcellinus lib. 17. historia. & lib. 19.

[b] Cœpit hic imperare anno salutis 527. obiit 565. Palmerius.

[c] Procopius lib. 2. de bello Gotthor.

[d] Idem Procopius Iustiniani ætate, & post, scribens lib. 4. de ædificiis Iustinia.

[e] Ad Crispinum Domitiani Aug. Ducem lib. 5. Syluarũ.

[f] Iuuenalis Satyra 2. Mela lib. 3. ca. 4. de Bione Laertius lib. 4.

[g] Vadianus Melæ interpres lib. 2. cap. 1. pisces hi Husones vulgò.

flore philoſophiam veſtiuit, ſicuti dixit Aratoſthenes: & moriturus Deum æternum vnúmque vigere profeſſus adſtantes obſtupefecit, qui de Scythico viro longè ſecus ſuſpicabantur. Atqui poſteriorem ciuitatem nomine, ac amplitudine ſua gratã, ac Olbiam, id eſt beatam vocat Strabo, μέγα ἐμπορεῖον κτίσμα μιλησίων[h], id eſt, amplum emporium conditum à Mileſiis. Certè Boryſthenem in Sarmatum finibus fluere notat Ptolemęus. Et quia non ſum neſcius, quondam Moſchorũ terram partim Polonis ipſis paruiſſe, quam perfluit Boryſthenes. Placet in mera Sarmatia ciuitates plurimas ex eodem Ptolemæo oſtendere, Azaricum, Amandocam, Sarum, Serinum metropolim, & alias, quæ ſimul cum Polonia nomen recentius ſortitæ fuerunt, & impendio extructæ à clade Troiana, ac ſi ex Ilij ruina & ruderibus emergerent, multo antè Lechi dominatum, cuius ope multa oppida fungorum inſtar repentè nata cõminiſcuntur, & qui Ptolemæum lapſis quadringẽtis ferè annis ab imperio D. Marci Aurelij ſecutus traditur[i]. Quid obſecro, impediuit Sarmatas veteres à moliendis oppidis? ſiquidem aliç gentes multò obſcuriores minúſque mites & ſociabiles propter cõmercia ſe mœnibus & ædificiis incluſerunt, vt Scythę[k] & Moſchi agro quàm animo Polonis coniunctiores, regionem ſolo & cœlo aſperrimam incolentes, quam nemo quærat niſi ſit patria. Cotem eam lubens dico roboris Polonici ad pubem bello exercendam, ne otij rubigine, & nimia pace obtorpeat, aut ciuilibus interim diſſidiis collidatur: ſed magis cum regni tranquillitate ſimul famam ſuam augeat, & prolatet. Cuiuſmodi obtigit Sigiſmundo Polonum

h Strabo libro 7. Ptolemæus libro 3.

i Suidas anno Christi 163.

k Iornandes libro rerum Geticarum. Qu. Curtius lib. 6.

num Rege procinctum mouente Conſtantino Oſtrogio & Io. Suirzouio ducibus fideliſſimis, cum Boryſthenis aquas niue increſcere ſolitas Moſchorum ſanguine ampliarunt, deſideratis eorũ quadraginta poſt pugnam millibus: à qua Baſilius Dux Tartaros alioquin domare ſolitus, tam perniciter fugit, vt nullum aliud fugiendi tempus habuiſſe cenſeri queat[l]: vix in ſinu Moſchouię ſibi ſecurus. Magnus grex captiuorum Sigiſmundo ſuperfuit. Miſſi ſunt partim ad Leonem x. Pontificem Rom. Mediceæ familię non leue ornamentum, qui eorum proceram ſtaturam, aſpectũ trucem, religionémque Græcula ſuperſtitione infuſcatam in eis pauliſper contemplatus, Leonis planè animo proſtratis ignoſcẽs, incolumes diſcedere ſiuit. Maximilianus Aug. ſimiliter iis, quibus fortuna belli pepercerat, ad ſe miſſis humanus ita extitit, vt ipſos eleganti veſte donatos & commeatu, per Daciã fide publica ad proprios penates redire curaret. Sed iam ego mihi videor pernimium indulſiſſe memorabili Sarmatum victoriæ, vt obliuiſcar meæ, quam penè tenebam manibus, contra illos inſtructa acie, qui vrbium molem in Polonia rem putant eſſe nuperrimam: cum potius ab Vlyſſe illo Ithacenſi repetenda veniat. Is enim in decenni illo reditu ab Ilio & prælonga nauigatione Germanicum appulit Oceanũ, ne quis eſſet mundi angulus, in quo ſui nominis veſtigia non relinqueret. Illic itaque primò iuxta Rheni amœniores ripas vrbem ſtatuit, mox aram Laertis patris titulo conſecrauit: poſtremò, niſi nos fallit Corn. Tacitus[m], in finibus Germanię ac Rhœtię tumulos Græcis literis inſcriptos poſuit ex pertinaci Germanorũ om-

l Paulus Iouius lib. 13. Herburt. Polonus li. 20. cap. 7. anno Christi 1515 uiditque Vadianus hæc.

m In lib. de moribus Germanorum. Rhœti, les Grisons.

nium fama,quam ipſe non audet refellere, ne conuincatur mẽdacij,vel à reliquiis Græcæ extructionis.Nam etiamnum in ſuperiore Polonia Vuarte vrbs non vulgaris retinet penè intertritũ Laërtis Regis nomen, ſicut Calyſſa nymphæ Calypſus aurea nauicula telam texentis, apud quam Vlyſſes Ithacæ patriæ interea memor annum ſuauiſſimè diuerterat [n]. Atqui inferiorem Poloniam honeſtauit ſui nominis Viſlitze paululùm luxato vocabulo.Omitto Petricouiã, κροσσῖνον, à pinnis murorum,aliáque oppida nihil non prorſus Græcum redolentia:& in Ruſſia Poloniæ iam contributam Hellopolim, quam nunc aliqui Leopolim dicunt, & perperam Leoni Imperatori aſcribunt, qui nunquam eò penetrauit, ſiue is qui Magnus vocabatur, ſiue Leo Armenius oppugnator imaginũ in templis,& potius cum ſignis vmbríſque ſacris,quàm cum Ruſſis audacter belligerans.Cum Bulgaris enim ſolùm conflixit in Thracia [o],& victor inde Cõſtantinopolim reuerſus eſt.Quinetiam in eadem prouincia Ruſſia Rutheni literas Græcas æmulantur ſcripto.Vbertas illic adeò gliſcit, vt meſſe facta ex ſemine deciduo ager fiat reſtibilis ſequente anno,nec noua ſemente egeat. De paſcuis etiam quãtum longiſſimis diebus armenta carpent, tantundem tenuis ros nocturnus reponit: & Moſchouiam verſus calamũ odoratũ Indiæ alioquin peculiarem,alia etiam aromata profert.Hæc eſt illa Siren,quæ diu in Sarmatico tractu Vlyſſem permulſit,& detinuit: demum in Moſchos penitus tranſiens Achillis Manibus parẽtauit in Alba inſula,quam Plinius Achillis tumulo claram teſtatur [p], id eſt,vt ego accipio,cœnotaphio atque ſepulchro hono-

ris

n Homerus lib.4.Odyſſ.

o Zonaras lib.3. Hiſtoriæ. Muſterus lib.4. in Ruſſia.

p libro 4. cap. 12. & Dionyſius Coſmographus.

ris cauſa non religionis poſito,vt Iuriſprudentes iuſtiſſimè ſanxêre,ne vnius hominis duplex ſepultura [q] inueniatur.Quare Alexander Seuerus Aug.Romę ſepulchrum magnifico ſumptu meruit, cœnotaphium verò accepit in Gallia. neque enim Vlyſſes clypeo Achillis fruens rurſus eũ ſepulturæ mandauit,qui pridem mortuus tumulum iuxta Troiam acceperat: ad quem cum aſtitiſſet Alexander Magnus ad Sigęum promõtorium, ò fortunate, inquit, adoleſcens [r] Homero præcone celebrate. Eſt & altera ſecundùm Boryſthenem oblonga peninſula, vbi Achilli Vlyſſes funebres ludos edidit: δρόμος ἀχίλλειος nuncupatur,id eſt,curſus Achillis [s].Mela verò nomen manaſſe autumat à ludicra curſus exercitatione, qua in re profectò luditur: ſed magis adhuc Alcęus, dum refert neſcio quem Achillem Scythię regem,& Achillis animam in pontum Euxinum venientem luſitare [t]. Sed ego aniles nugas riſu excipio, & reuertor ad Vlyſſem indagatorem rerum ſolertiſſimum: nam iugi ſtudio viſendi & cognoſcendi tenebatur. Proinde in Sarmatia & Moſchouia de Argonautis ad vellus aureum Colchos nauigantibus multa ſciſcitatus eſt, multa reſciuit, maximè de Orphęo Thrace deorũ myſtena uticum celeuſma & melos eximium ad excitandos remiges ore ac fidibus accinente, & latè per littus Sarmaticum reſonante. Venit enim ad Scythas & Tauricos,vt ipſe [v] de ſe fatetur, atque ad Gelonos cæſarie effuſa inſignes,

σαυρομάτας τε, γέτας τε. id eſt, ad Sauromatas Getáſq;.

Ab eo properante aliquantulum in diuinis rebus initiati Sarmatę, audito longè poſt Zamolxi paulò peri-

q l.42.& l.44. ff. de religioſis.

Aelius Lampridius in Alexandro.

r Cicero in orat.pro Archia poeta.

s Ptolemæus Strabo, & alij meminere. Mela lib.2. cap.1.

t Euſtathius Dionyſij interpres.

u lib. Argonauticωn.

tiores euasêre. Zamolxin autem aiunt [x] seruum fuisse sapientis Pythagorę, nihil moror: ingenuo certè fuit animo: necessitati parendū cuique venit, & victori cedendum. Sic Crœsus Rex Lydię Cyro Persarum seruiuit. Seruius quoque Rex Rom. vterum ex lege ciuili sequens Ocretię captiuę filius, in domo Tarquinij Prisci educatus nō potuit liber nasci, vel Phædon ex cohorte Socratica, cui Plato aliquando seruus librum illum de animæ immortalitate dicauit, [y] libertatem tandem nacto, vt Zamolxi quoque euenit. Mox Thraces, Scythas, & Getas adiuit, nouè edocturus hominem ex luto cœlóque constare, nec animum eius morti obnoxium, nimirum à cœlo profectum [z]. Et cum deorum cultū ritè Zamolxis instituerct, ipse quoque pro Deo habitus est: potissimum apud Sarmatas, qui Scythis omnibus tantum omnino pręstabant, quantum Scythę prę reliquis nationibus belli artibus sese extollerēt. Propterea in publicis clypeorum insignibus Sarmatę binos equites stricto gladio feroces appinxerunt, quòd equitatu polleant in præliis: quódque res militaris sit colūna altera, qua regna & Respub. partim fulciūtur. Alterā aduentu Zamolxis statuerunt in religionis & legum sanctitate: ideo totidem albas aquilas passis alis adiecere equitibus, innuentes quanti facerēt Zamolxin & magistrum ipsius Pythagoram, qui binarium numerum [a] sapientissimum censuit, fortè quia primus revera numerus dici mereatur, vt μονὰς fons numerorum: primus sexum vtrumque amore perfecto conglutinet, & diuinitatē humanitati adnectat: diem noctémque totidem syderibus præcipuis

x Aquila insigne Poloniæ.

y Macrobius libro 1. Saturnaliorum cap. 11.

z De Zamolxi Herodotus lib. 4. Strabo li. 7.

a Aelianus lib. uariæ Historiæ 4. cap. 17.

præcipuis illustret: vel denique quia rebus nomina imponeret, vt quidem suadebat discipulis taciturnis, à quibus mirū in modum suspiciebatur: adeò vt affirmarent ipsum à Nesso flumine salutatum, & femur aureū habere καὶ τ̈ ἀετὸν ὃ τ̈ λευκὸν κατέψησεν ὑπομείναντα αὐτόν. Id est, & extitisse aquilam albam, quæ ei volatu se submiserit. Metapōtini etiam domum eiusdem delubrum Cereris [b] legiferę dixêre. Ne quisquam posthac diutius cor anxiè rodat in Polonicæ aquilæ explicatione, instar Promethei in monte Caucaso Scythiæ: sed mecū hymnum cantet Christo propitio: nam & Pythagoras cum egregiū quippiam in geometricis inuenisset, musis rem diuinam facere consueuerat [c] gratias agens. Nec tam abstrusa veritas aliunde quàm à Deo accipi potest, qui aquilinis oculis omnia acutius videt. Nihil huc adferre libuit de signo militari Romanorum aquilam præferentium, cum id cuiuis sit notum, vel ex Sidonio scribente Maiorianum Aug. auxilia consecutum à Sarmatis [d] & Scythis:

– Sarmata, Moschus,
Post Aquilas venêre tuas, tibi militat omnis
Caucasus.

Audio vtique à Plinio [e] Scythię nomine Sarmatas inuolui, sed non alia ratione, quàm quòd Sarmatæ tota Scythia potiti fuerint, & aduersus Scythas ipsi quoque Scythicum quiddam & immane exercuerint, abactis inde colonis & agros deserere compulsis [f]. An non & Francos ipsos, quia Galliam superauerint, Gallos dicere solemus? Nec dubiū est, quin Sarmatæ trans Tanaim longè penetrauerint, & Asiam subege

b Laertius lib. 8. in Pythagora.

c Vitruuius lib. Architecturæ 9. cap. 2.

d lib. 5. Carminū Sidon.

e libro 4. cap. 12.

f Diodorus Siculus lib. 3. de antiquorum gestis.

subegerint: vbi alteram Sarmatiam fundarunt, quæ ab occasu Europęam aspicit[g], vsque ad fontem Tanais, & à Septentrione Colchos olim aurei velleris fulgore claros, confines habet, atque Tartaros auidissimè insectatur: nec origini suæ hac in re absimilis, nec Gallis antiquis, qui pariter hasta & securi viam in fertilissimā Asiæ regionem sibi fecerunt, noménque reliquerunt Galatiæ[h]. Hæc perpulerunt Tartaros, vt crebrò in Poloniā erumperent, ac tum palantes popularentur, tum coacto exercitu, flamma, ferróque, quod in pectore, quàm in in manu durius habent, obuia quæque vastarent, prædonum ritu sæpius quàm militum: ita perfecere, vt Scytharum nomen sibi adhuc crudelitate conseruarint. Quamquam olim Sarmatæ, nisi vicissent Scythas, illo numquam comprehensi viderentur, vti Ephorus perlustrata Europa vsque ad Scythiam scriptū reliquit: nempe esse Sarmatas viuendi more dissimiles Scythis reliquis[i], & eorum quosdam ab animalium esu abstinere iuxta Pythagoram, & iustitiam cōplecti, odisse facinus. Cæterùm quin bello boni fuerint, ex iis quæ iam narrauimus nemo addubitet, nec Romani Imperatores inficiabuntur: licet prodeat in medium Aug. Cæsar habitus fœlix, in ore sæpe habens, nō sibi libere hamo aureo piscari[k], & gentes nihili debellare multarum legionum periculo: quo astu seipsum solabatur, si quando feroces non auderet lacescere. Idcirco Lentulum legatū suum admonuit, ne temerè Sarmatas inquietaret. quia, vt Florus cōmemorat, niuibus & syluis tantùm abundarent, nec pacem intelligerent. facilius namque Augusto fuit hostium præfractum animū cognoscere, quàm experiri.

g Ptolemæ. libro 5. Geographiæ. Musterus lib. 5.

h Titus Liuius deca. 4. lib. 8.

i Strabo refert lib. 7.

k Suetonius in Augusto. Florus libro 4. Epitom. cap. 12.

riri. Nā aliàs C. Lucio res gerente in Germania vix Sarmatas[l] à Danubij ripis potuerat submouere præsidiis circumpositis, cum Fonteium consularem virum impunè trucidassent, longius profectò erupturi, nisi Vespasianus potitus rerum Rubrio Gallo duce[m] restitisset: ita vt onusti præda domum redirent. Illius filius Domitianus plura in Sarmatas molitus vix paria pręstitit, vt satis innuit is, qui multùm blāditur, Italicus de ipso loquēs[n]:

Idem indignantem transmittere Dardana signa
Sarmaticis victor compescet sedibus Istrum.

Namque Dardani Mysiæ vicini Sarmatis tum opitulabantur, & Romanum iugum vnà perpeti dedignabantur. Ecquis præterea non audiuit quantū æstuauerit D. Marcus Antoninus in bello contra Sarmatas & Germanos, cùm protraxisset castra longè à flumine, & iam siti enectos milites? nisi qui Christum profitebantur, fusa[o] prece pluuiam cœlitus exorassent. Nouimus etiam cantilenam Aureliani Imp. Mille, inquit, Francos, mille Sarmatas semel occidimus. Sed hoc quàm procul à Polonia, nempe[p] ad Mogontiacum in Belgica: vbi dici non potest quoties Romana manus cesserit, vt est alterna sors militiæ: maximè postea imperāte Valētiniano Magno Pannoniam natalem habente: in quam cùm exercitum misisset, penè à Sarmatis ad internecionem delectum resciuit: à quibus dum in Gallia agens in magnis prælijs se parui fieri videret, ruptis præ angore[q] venis & arteriis interiit, alioquin nomini Christiano fauēs, & meliore dignus patientia: quasi certè erga primos Francorum conatus in Pannonia vsus dicitur, & demiratus ingentes animos tributorum immunitate honestauit, ac

l Dion Cassius lib. 54.

m Iosephus lib. 7. de bello Iudaico. cap. 24.

n Silius Italicus lib. 3. de bello Punico.

o Eusebius lib. historiæ ecclesiast. 5. cap. 5. anno 1375.

p Flauius Vopiscus in Aureliano.

q Sozomenus lib. historiæ Euangelicæ 6. c. 36

r Annonius lib. 1. de gestis Franc. Mela lib. 3. cap. 4.

Franci, id est, vt aiunt [r], ferocis nomine. Sicut P. Mela Sarmatarum gentem, liberam, indomitã, bellatricémq; eadem ratione vocauit. quod propè miraculũ accedit, cum ferri penuria diutissimè laborauerint: ita vt viderit Pausanias Athenis in templo Aesculapij loricã Sarmaticam ex cornu vngulæ equinæ compactilem squamæ draconis ritu, quæ nec elegantia, nec firmitate loricis Græcis cederet. Subdit idem scriptor [s] Sarmatas laqueis ferreis pugnasse, & sic hostes intercepisse, & equos diis immolasse. quæ mox cõfitetur ad Nomadas potius spectare, id est, vagos pastores Scythiæ armis toties fractos Sarmaticis, vel ad Tauricos Scythas crudeles prorsus: nam aduenas diis [t] sacrificabant, & Iphigeniã Agamemnonis Regis filiam victimæ destinatam euasisse asserebant, eóque peruenisse, Dianæ rem diuinã fecisse cruento sacrificio: quale in Sarmatia vsurpatum nõ memini. Tantummodo proditum est memoriæ Gracchũ Sarmatam inter nobiles præclarum Gracchouiam vrbem secundum Vistulam fluuium fundasse, vixisséque ciuibus suis charissimum, vt luctu maximo testatum est in ipsius inferiis & tumulo ad montem [v] Lassotinum sito, vt scilicet inde ex edito culmine paratius in cœlum desiliret, superstite Graccho filio, quem miserum de improuiso Lechus frater mactauit, meritò mox explosus à regno quod immeritò fraterno sanguine delibutus detinebat, quódque postmodum Vendæ Gracchi prioris filiæ populo assentiente obtigit. Hæc fato fratrũ infœlix, nec suo satis fortunata, quandiu imperauit valde suis se amabilem præbuit propter industriã formæ gratię coniunctã: & tunc præcipuè cum ab externis hostibus bello pulsari

s Pausanias in Atticis. Ammianus lib. 17.

t P. Mela cap. lib. 12. & Eustathius in Dionisium.

u Herburtus Senator lib. 1. cap. 4. historiæ Polon.

pulsari cœpit, à Rhitigero Theutonum, inquam, duce siue amore, siue ira percito: & qui post expertus est non frustrà inter Herculis labores inscribi, quòd Hyppoliten Amazonum reginam vicerit, & baltheo spoliauerit: nam ipse Vendę auspiciis laude victoriæ, & ferè exercitu multatus est.

Tanta virginis victricis hoc accidisse ferunt lætitia, vt diis gratiam referens sese in Vistulam de ponte Gracchouiæ præcipitem dederit, regali prius palla refulgens, sed magis prudẽtiæ & pudicitiæ radiis, falsæ tantùm religionis delusa imagine. Non aliter ac Franci, qui Theodibertum Ducem in Italiam secuti, nondum Christo in Gallia penitus agnito, in agro Picentino pontem nacti cum Gothorum præsidio, horum liberos in Padum victimæ loco, & pro belli primitiis [x] proiecerũt. Sed Franci hostium, Sarmatia verò reginæ dilectissimæ iactum fecit, & magis ac magis Vistulam fluuium nobilitauit, qui è Carpathiis iugis nascens cursim attingit Dantiscum Prussiæ oppidum Poloniæ amplificatæ contributum, portu & nundinis percelebre. Diu Sarmatæ Vendã luxere, quasi lachrymis augere decreuissent fluuium: eamque vnam Naidum nympharum diu putarunt, vt Græci Ino Cadmi regis filiam, dum se in mare præcipitasset cum Melicerte filio, mox numen sortita deæ Leucotheæ vel Matutæ titulo. De qua Xenophanes Eleatis: Si dea est, inquit, ne lugete: si mulier, [y] ne sacrificate. Quantò satius fuisset Vendæ litare diis minori iactura, & imitari Berenicẽ Aegypti, quæ aliquando Ptolemæo Regi patri suo è prælio [z] trepidè aufugienti auxiliũ & decus attulit, & pugna integrata hostes fudit? Quare à

x Procopius li. 2. de bello Gothorum.

y Aristoteles li. 2. Rhetoricor. ad Theodecten cap. 23.

z Hyginus in libro de Signis cœlestibus in Leone.

Callimacho magnanima dicitur: nec cõtinuò in seipsam sæuiit, tantùm pro ingenti gaudio comam totondit, & Veneris templo dicauit, eámque, cùm postridie disparuisset, Conon Mathematicus, vt Regis iniret gratiam, in signum cœleste transtulit Leoni proximum. Alij Ptolemæum Berenicis coniugem fuisse malunt[a], quæ votirea, deinde compos, crinem pollicita diuis fuerat, si Rex ab Asia victor rediisset. atqui ille

Captam Asiam Aegypti finibus addiderat.

Nec me latet fuisse, qui senserint Ritigerum principem Theutonicum flagrasse Vendæ amore, & quia potiri renuente nequiret, sibi mortem cõsciuisse: ac Vendam vicissim fatum illius miseratam, flammam suam secũ mersisse flumine. Aut quia nõ magis intelligeret, quàm ego Heraclitum dicentem[b], animis humidis delectationem non mortem contingere. Ita Sappho Lesbia in poeticis excellens, Cupidinis œstro percita[c], vt Menander ait, è rupe Leucadia primò in mare desiluit.

Post Vendę funus ad XII. Palatinos, qui Gracchi regnum præcesserant, cura rediit Reipub. quos è procerũ locupletiorum numero populus elegit: ne paupertas domestica aliquid suaderet in perniciem popularem, vt Ephoris Lacedæmoniis[d] causa extenuandę Regũ potentiæ introductis: à quibus ciuitas dissidiis & corruptela misceri cœpit propter opes nihil non audentibus.

Palatini autem quandiu viuerent, functionem sustinebant, & honorem sub Cęsaribus Romanis temporarium. Tametsi Palatinis insignia pristinę dignitatis laboribus terminatis Romę seruarẽtur[e]: nec quisquã quale id munus esset digito queat ostendere: cùm diffusè cõtineret

a Catullus in coma Berenicis.

b Porphyrius refert in antro Nympharũ.

c Vide Strabo. libro 10. de Venda. Io. Herburt. lib. 1. cap. 6.

d Aristoteles libr. 2. Politicorũ cap. 8.

e l. quidam. de Palatinis libr. 12. C.

neret multiplices administrationes in palatio Imperatoris. A quo etiam in prouincias regendas mittebãtur[f]: atque eruditi studiis expeditionẽ in comitatu principis suscipiebant, & castra cum eo sequebantur[g]. Sed nec diuitũ Palatinorum ordo restitutus satis prosper fuit Poloniæ. nam æmulatio potentiorũ inter se pestilentes factiones induxit: interea quoque sæuiẽdi in tenuiores effrænatam libidinem. Vidisse similes Roma quandoque potuit Decemuiros anno ab vrbe condita trecẽtesimo creatos suffectósque Consulibus, vt Consules Regibus exactis successerant[h]: quoad paulatim aucta insolentia iniuriæ, exhaustis ciuium fortunis, miserrimè eiicerentur. Sic etiam accidit Palatinis Sarmaticis maximo Prę-mislai commodo, qui priuatus existens, & semper plus priuato sapere visus, à populo Princeps lætissimè conclamatus[i] fuit: & dum moritur, Lescum successorẽ accepit, qui à currendi vel equitandi celeritate, & principatum adeptus est, & Cursoris nomen. Solertiæ ipsius id quidam acceptum referunt: nam stadium stylis ferreis clam substrauerat, quorum conscius per deuia pedibus accelerans omnes equites indemnis cæspitantes longo interuallo post se reliquit, vt Pelops Lydius corrupto Myrtilo auriga Oenomai regno, & filia Hippodamia potitus traditur, cuiusuis nuptiis destinata, qui quadrigis eandem vicisset. & cum Pelops solutili curru nixam puellam facilè pręuerti potuerit, tamen Peloponnensis regni fraude parti clarissima fundamẽta iecit[k]. Sed luerunt noxiam illius nepotes, Agamemnon & Menelaus fratres, vxorum probro miseri, nec prole fœlices. Sic nõ inulta fuit Lesci soboli astutia eius. nam cõstat Popie-

l. 11. eod. tit. ubi ãnus est.

f l. fin. de priuileg. eorum qui in sacro palatio milit. C.

g l. 1. de castrensi omnium Palatinorũ peculio. lib. 12. C.

h Titus Liuius lib. 3. decadis 1.

i Circa annum Christi 750. ut Herburtus ait li. 1. c. 7. & 8. de Lesco.

k Turcæ paret, & dicitur La Morea. de druidis Gal. Ammianus lib. 15.

lum Lesci pronepotem inaudito fato periisse, muribus vndique cōfluentibus, vt ipsum comederent, tam auidè, vt neque absynthio, neque mustelæ cinere arceri possent. Alij ex ipsiusmet corpore in sui pœnā fœcundissimo pullulasse luem eiusmodi autumant: cùm præter alia scelera, deorū securus animas hominū in alia subinde migrare corpora, nec diuinitus creari assereret, Za molzin autorem citans, ex cuius fonticulo se hausisse id dogmatis dictitabat: quod etiam in Gallorum Druidas latè dimanarat Gręcis fretos literis. Itaq; Popielus exitum fermè habuit Pherecidis Syri Pythagorę, & eiusdem sententię magistri: hic verò erumpente è suis visceribus serpentū multiplici copia expirauit [l]. Interregno sopitam regiam dignitatem rursus excitauit Piastus, vicum Polonię mediocrem incolens ętatis vigore, qua nec temerè aliquid propter iuuentam, nec cunctanter aut segnius prę senio gereret, atque probitatis fama cumprimis venerandus. Melle & venatu ali solitus, & ferinis pellibus amiciri, ritu prorsus Sarmatico: quoniam Vlpianus noster probaturus vestis verbo pelliceam contineri, satis habuit [m] dicere Sarmatas ea vti: licet Moschi & Tartari pretiosis pellibus æquè affluant in inope regione & minus nobili. Nec totius mundi sine controuersia Rex Adamus alia quàm pellicea veste tectus, à Deo iussus est paradisum amœnissimū relinquere, vixdum collectis sarcinulis. Romulus itē Virgilianus, Lupæ fuluo nutricis tegmine lætus, mœnia cōdidit. Et sibi placuit Iupiter Amalthee capręexuuiis, vt ibidem Seruius narrat. Denique in Gallia sublimes Senatuum præsides pro tribunali ius dicturi latum clauum pellito ornatu

l Apuleius lib.2. Floridorum. Plinius li.7. cap.51.

m l.argumento.ff.de auro legato. Genesis c.3. Virgil.lib.1. Aeneid.

natu suffultum gerunt. Adeò autem Piastus apud suos in magna iustitiæ opinione fuit, vt bonos genios domo & epulo excepisse vulgò crederetur cum aliis cōuiuis, & ibidem deficiētibus ferculis carnes suillas aprugnásve prodigiosè increuisse. Quapropter comitiis Crusuiciæ habitis à mellificio, quo quidem pręcellebat, ad dulcedinem regni seu principatus haud molestè traductus est: quippe quę solicitudo non valdè illum tāto & tam pulchro oneri recentem premebat: cùm ab ipsis apibus, quarum Polonia ferax adhuc cernitur, imperandi obsequendíque partes, & munia legitimi principis didicisset. Cuiusmodi te fatemur Henrice Francę: nec dubitamus quin aduentu tuo apes insitato correptę gaudio thymum, violam, rosámque fastidiant prę liliis, dapibus planè gallicis. Si modò verū sit, quod quibusdam placet, esse apibus partem diuinę mētis, & haustus ętherios, vt Poeta [n] loquitur. Prędertim quòd nec Lydia, nec populi Parthorum aut Medorum Regem maiori obseruantia colant:

—Rege incolumi mens omnibus vna est:
Amisso, rupère fidem.

Sicut nimis experti sumus, cùm Deus cœlitum numerum augere studens, Henricū secundum, parentē tuum reuocauit ex improuiso, relictis liberis nondum puberibus: tunc enim subditi in diuersa secessere, & simultates vsque ad bella fouerunt, tanquam membra amisso capite simul insanirent, & toties manus ciuili sanguine inficerent. Vt etiam in Polonia accidisse ferunt à Piasti salubri dominatu. Hunc nonnulli opilionē, alij aratorem fuisse perhibuere, vt de Aristęo iactatur apiū amantissimo.

n libro 4. Georgico. Virgil.

tiſſimo. Qui quoque Eurydicem Orphei perámauit, ſaltem paſtor ille paſſim dicitur: & tamen in Regem euaſiſſe à Iulio Hygino memoratur [o]: nam à ſummis prǽclaríſque viris olim res ruſtica plurimi fiebat, vt nihil illa putaretur vrbanius aut ſanctius: de qua ſcripſere Archelaus Cappadocũ Rex, & duces Xenophon, ac Mago Pœnus. Et Cincinnato Romano in villa aranti Senatus Dictaturã regno breui ſimilem detulit [p]. Piaſtus itaque tũc maximè dignus regno creditus, dum regnare cœpit, tranſlato Gneſnam in veterem Lechi regiam palatio, meliores ciues ſuos efficere conabatur, ſenſim quidem & leni hortatu, ne prǽcipiti mutatione eos conſterneret, vt Anacharſis Philoſophus Regis Scytharũ frater in plaga Moſcouię, & Hylęa ciuitate iuxta curſum Achilleũ, de quo iam pleraque narrauimus. Is enim dum ſolennia deorũ & leges, quas à Solone viua voce Athenis audierat, in patriam nititur traducere, à Saulio Rege [q] patruele ſuo ictus ſagitta occubuit: vel à Cadnida fratre, dum venatur, vt mauult Laertius, apud quem Attico cuipiam exprobranti, quòd Scytha eſſet, Mihi, inquit Anacharſis, dedecori eſt patria, ſed tu patriæ. Sic vir aliis prudens, qui ventrem linguámque cõtinendam dictitabat, dum repente auſus eſt dedocere ineptos acerbósque Scytharum ritus, ſibi parũ conſuluit: à quibus quidem Piaſtus ſubditos deterrebat comi affatu, metuens ne illorum contagione inficerentur, maximè Tartarorum hoſtis deuicti cruore ſitim ſedantium vel hac noſtra tempeſtate [r], ſicut hauriebant lac equi ſanguine perfuſum: de quo Claudianus alios populos non minus truces referens:

Et qui

o lib. de ſignis cœleſtibus, in Arctophylace.

p Plinius libro 18. ca. 3.

q Herodotus lib. 4. & Laertius in Anacharſi.

r Idem Herodotus 4. & Muſtetus.

Et qui cornipedes in pocula vulnerat audax
Maſſagetes [s]. At Sidonius à tam fœdo victu Polonos & Moſchos eximens ait:

Sauromaten taceo, ac Moſchum, ſolitóſque cruentum
Lac potare Getas.

Ad hæc Piaſto debet Polonia, quòd mulieres ſexui tantùm conſentaneas artes tractarũt: & ab inſulſa Platonis lege deſciuerũt, qua mulieribus [t] arma, & bellorũ diſcrimina cõmittuntur. Nam nec fœminas ſimiles viris Piaſtus diligebat, nec viros fœminis. Deſiit ergo virginitas eſſe puellis Polonicis ſuppliciũ: nam antea nubere nulli earũ fas erat, niſi tres prius hoſtes confodiſſet in prælio, & ſacra feciſſet ritu patrio [v]. Hinc Stobęus occaſionem arripuit mentiendi Sarmatas vxoribus tãquam oneris dominis enixè paruiſſe. Quis ſibi hoc perſuadeat de viris adeò bellicoſis, quantum iampridem agnoſcũtur? vt indicat Coſmographus [x] Septentrionem explanans:

καὶ ἔθνεα σαυρομάτων
ἔσθλον ἐνυαλίου γένος ἄρεως. Id eſt,

Et gentes Sauromatum, ſtrenuum genus ferocis Martis. Subdítque ex connubiis eorumdem atque Amazonũ prolem omnino bello bonam ſuccreuiſſe. Quippe quia Amazones è Scythia profectę in omnem effuſæ licentiam neglectis viris Aſiam armis inuaſerunt, & ſuppeditarunt. At in victoriæ monumentũ [y] Epheſi templum Dianæ ſimiliter virgini & ſagittis pollenti condiderunt. Mox vlterius progreſſę Sarmatas oppugnarũt irrito conatu. Ita demiratæ hoſtium robur & virtutẽ, amoris aliquo fœdere vincire conſtituerunt, quos ferro vincere fruſtra quæſierant. Quare nobiliſſimæ quæque Ama-

F

s libro 1. in Ruffinũ. Sidon. 7. Carminum.

t Plato dialogo 7. de legib. Pomp. Mela lib. 3. cap. 4.

u Hippoc. in lib. de aëre, aquis & locis. Stobæ. Sermo. 42.

x Dionyſ. in libro de Situ orbis.

y Iornãdes lib. rerũ Geticarum.

zonu æquabiles sortitæ maritos è Sarmatia prędicātur, in medium allatis opibus & belli manubiis,& vtrinque sermone cōmunicato. Vnde factum, vt tum primùm Sarmatæ solœcismū [z] facere dicerentur: licet alioquin purius & gratius Mysis Scythísque omnibus loqui con suessent. nec puduit Ouidiū apud Getas exulem idiomatis Sarmatici [a], vt eo Quiritū præcipuos laudaret:

Hîc vos Sauromatæ, iam vos nouere Getæq;
Nam didici Geticè Sarmaticéque loqui.

Quo exemplo adducor, Rex optatissime, vt credam te breui Polonica phrasi cum disertissimis posse contendere, cum Reges aut docti, aut dociles penè nascantur, & sese locis ac personis sapienter accōmodent: perinde ac Magnus ille Alexander deuictis Persis ac Medis, sermone, vestitu, cultúque sibi placens Persico: & Hephæstionem Macedonem sibi intimum valde cōmendans, quòd & ipse Persicè amiciretur. Ideóque φιλαλέξανδρον, id est, Alexandri amicum appellabat: Craterū autem [b] φιλοβασιλέα, id est, amicū Regis, quia patrios mores seruaret. Plurimum gloriæ accessit Mithridati in Pōto regnanti, quòd xxij. linguas calleret, & totis lvj. annis, quibus tot populis præfuit, neminem per interpretem [c] allocutus est. Nec dubito, quin Sarmatas Asiaticos, apud quos in fuga [d] latebrā inuenerit, vernacula locutione assequeretur. Quid memorem è maioribus tuis Carolum Magnum nullo antegenitorū regum inferiorem Germanicè & Gallicè eloquentem, necnon Arabicè [e], Græcè, Latinéque, quantum id seculi perpeti poterat? nam Gothorum colluuie inquinata cum Rom. imperio Gallia multum nitoris & antiquæ puritatis amiserat:

z Herodotus lib. 4.

a libro 3. de Ponto. elegia 2.

b Io. Monachus uetus autor in Alexandri uita.

c Plin. lib. 25. cap. 2.

d Iulius Solinus in Polyhistore c. 20. Plinius lib. 6. cap. 5.

e Gillius li. 1. annalium. anno 773. Enginhardus Cancellarius Caroli.

ferat: quam instauratā ab auo tuo Frācisco primo Rege gratulor: & à multis tuis Comitibus exacta Ciceronis lima expolitam: siue à Io. Monluco Valentino episcopo Caroli ix. fratris tui inuictissimi ad Polonos legato, non minori Rhetorum supellectile instructo, quàm fuerit Cyneas Demosthenis auditor, & Pyrrhi Regis legatus [f]: atque eidem plures vrbes quærere & demulcere solitus compta & dulci oratione, quam Rex ipse armis superaret: qui hoc non semel fassus ingenuè prędicatur: præterquàm quòd Cyneas vrbes singulas flectere dicendo potuit, Monlucus verò regna amplissima detecto tuarum virtutum cumulo, Polonis sanè quàm industriis & facundię capacibus admirando. Obstuperet itaque Clemēs Pontifex Rom. à Petro Apostolo quartus tantam rerum vicissitudinem in Sarmatia extremā Germaniam cōtingente accidisse, vbi nullum geometram, vel poetam, pictorémve, aut trapezitam fuisse scribit [g]. Atqui nunc huiusmodi artes bellissimè vigent apud Sarmatas, vsque ad Astronomiam atque [h] futurarum rerū pręsensionem, quas soli numini scire non sinunt: maximè Russij fertilis agri, & abditarum artiū cultores. An non hi prædixerunt Zemomislo Polonū principi fore, vt ex vxore filium susciperet luce sua patriam parentésque illustraturum, qui tamen solis lucem non prius vidit, quàm septennem exegit infantiam, vtique cum cęcus natus esset, & visum cum fœnore deinde receperit: ita vt nec is à quo in membrana scriptam, & nuce inclusam Homeri Iliadem Cicero tradit [i], aut tam oculis, aut plus animo, argutus perspicáxque haberi debeat, quàm Miecislaus Zemomisli filius & successor, ac gener

f Plutarch. in uita Pyrrhi.

g lib. 9. Recognitionū. ad Iacobum.

h Paulus Iouius lib. 13. Musterus libro 4. in Russia.

i Plin. refert libro 7. cap. 21.

Boleslai primi Boemiæ Ducis,ducta cõiugẽ Dambrõu ca virgine Christiani nominis prolatandi studiosissima. Quæ tam clarum veritatis lumen, à marito duce[k] primum auspicata,in Poloniam omnem transtulit & propagauit, extructis templis quàmplurimis & cõminutis exoletæ religionis imaginibus,ad quas patritij viri & militares tribuni ante accedere & meticulosè deprecari solebant:

Vt pueri infantes credunt signa omnia ahena
Viuere,& esse homines, sicut dixit Lucilius.

Certè Poloni Miecislai Ducis imitamento & hortatu prouocati sic auidè Christi pręceptionibus imbuti fuere,vt emori potius,quàm deserere cuperent,in cuius rei fidem equites Polonici, quandiu Euangeliũ cantaretur à sacerdote in æde,gladium medio tenus stringere recepto more inceperunt,pro aris & focis bellaturi, si quis verbo Christi obstreperet.Manauit hæc sanctimonia & fortuna ad Boleslaum Miecislai filium, qui Regiũ nomen redintegrauit.Nam anteà principes Poloniæ duces tantum, vel quiduis potiùs quàm Reges nuncupabantur.Idque consecutus est adstipulante Ottone tertio,Saxone & Imperatore, qui populo vnius solis splendorẽ, & Regis vnius potestatem pari cõmoditate commendauit,& in cuius [l] gratiam Gregorius quintus Pontifex Rom.in paucos Alemaniæ regulos & pontifices Belgas ius Cæsaris eligendi transcripserat.Is voti soluendi causa venerat Gnesnam:vbi magnanimus Princeps à Rege Polonũm se munificentia superari facilè pertulit[m], auro,gemmis,serico, equísque,in aulicos affluẽter erogatis, vt Saxones reduces ab insulis fortunatis profecti nuper

k Io.Herburtus libro 2. historiæ Polon. cap.1. anno 965.

l Platina in vita Gregorij quinti.

m anno Christi 1000.

nuper videri possent.

A Polonia in Lituaniã serpsit Christiana pietas exactis annis,plus minus,quadringentis: sunt qui sentiant Andronicum Pauli Apostoli cognatum[n], & collegã in Sarmatia & confini Lituania quondam professum synceram doctrinam Euangelij:nihil ausim asserere. Certè Andronicum in Pannonia[o] Episcopum extitisse lego,& semen verbi diuini sparsisse:sed velut in vliginoso agro parum profecisse,quoad Carolus[p] Magnus Imp.Hungariæ victor illud radices ibidem agere curauit.Quod serò beauit Lituanos deiectis & succisis aris,& lucis deorum victimæ fumo magis quàm veritatis fulgore fruentium.Regnabat tunc in Polonia Huduiguis filia Ludouici Hungariæ Poloniæque Regis cœlestium rerũ conscia, quam è Francia oriundam, atauo Carolo rege Siculo,Andium Duce, &,vt iam ostendi, fratre D. Ludouici Francorum Regis,constans bonorum fama asseuerat.Nec futurus est aliquis ita peruicax,vt hoc neget,sin malit exitiali duello mecum propediem cõtendere.Eccur inuideat Huduiguen Francis,aut tale decus Huduigui? cum Franci grato penitus animo acceptam referãt primam Christi notitiam Clotildi[q] Burgundæ à Sarmatiæ finibus genus ducenti,& Clodouei Regis Franci vxori amabili. quia Φρουγουνδίωνες, id est, Burgundiones Sarmatis ad Vistulæ amnis primores ripas Ptolemæus aggregat: qui illa tempestate irrepserant in Galliã toti Septentrioni prædę datã prę nimia fœcunditate.Quod si Huduiguis plusculum lepôris & venustatis habuisset, in reliquis naturæ benignæ dotibus velim ausimq́; eam cõparare Margaritæ Valesiæ Nauarrę & Pyrenæi saltus

n Paulus ad Rom.ca.16.

o Dorotheus Tyrius episcopus in Synopsi 70. discipulorũ.

p Musterus in Hungaria lib.4.

q Anno Christi 499. Gregor. Turonensis lib. 2. de gestis Franc.

Reginæ:licet hæc,præterquam quòd ſoror tua eſt, omnes heroæ virtutis numeros in æquanimitatis ſuæ ſinũ repoſuerit. Talem cõiugem caſtis ſine triſtitia moribus tibi optarem, ô Rex Polonice, ſed de hac re votum iam ſuperioribus annis emiſi:

Vt Martem referas, ſed iuſtum (Thracia talem
Non aluit) ſimilem te precor eſſe tui.
At læto vt vireat ſtirps mira Valeſia ramo,
Proſperet, opto, tuum ſponſa venuſta thorum.
Si dignam expectas, viues, Dux regie, cœlebs,
Gens quia cœleſtem non habet vlla Deam.

Nam quemadmodum Darius Rex multis prœliis attritus, ex quo Scythas & Sarmatas laceſſierat, & in Aſiam traiecturus exercitum, dixit de Megabyzo Perſa duce conſiliis & armis idoneo, ſe à diis tot Megabyzos libenter efflagitare, quot acinos malum punicum ingens tegeret: ſic ego, hercule, totidem orbi terrarum profuturos & imperaturos obnixè poſco Valeſios: & propè idem expeto atque enuncio de Huduigue Regina illa non vnam venam Franci ſanguinis retinente. Quæ vt procliuius ad Chriſtũ Lituanos illiceret, in magna procorum illuſtrium turba ſuſtinuit nubere [r] Iagello illorũ Duci, cui poſtea Vladiſlao nomen, & qui tandem bene trãſacto matrimonio Huduigui dulciſſimæ inferias dedit, quas accepiſſe cuperet. Propter ſingularem eius in omnem pietatem & mitiores diſciplinas amorẽ & ſtudium: in quo Vladiſlaus ſuperſtes conſtitit, & delineatã prius ab Huduigue Academiam in vrbe Gracchouia conſummauit, acceitis lectiſſimis profeſſoribus, & reditibus in ſtipẽdia largiter præſtitutis. Eò potiſſimùm, vt

r anno Chriſti 1386. Academia cœpit anno 1400.

vt iuuentus delibatis Muſis ad ſeueram legũ ſcientiam gradum ſibi faceret: à quibus regnum ſanciri & obfirmari certius nouerat, quàm à vallo aut aggere, vel denique quàm ab arce Smolencha in finibus Sarmatiæ ſecundum Boryſthenem flumen Moſchis, Lituaniſque controuerſam, & pilæ inſtar huc illúcque deſilientem, quoties fortunæ ludere collibuit. Tametſi nec ſitu loci nec artificio propugnaculum munitius vſquam inueniatur: ſed iuſta lege imbecillius & vilius. Idcirco Poloni leges vetuſtate roboratas vnicè diligunt ac cuſtodiunt, nec à bono principe vllum malum edictum timẽt, qui legibus vltrò parere auet, quibus minimè ſubiicitur: propterea æternum victurus iugi mortalium recordatione. Cùm alij legum contemptores velocius intercidere ſoleant quàm beſtiolæ in Hypani Sarmatiæ fluuio, diurnæ tantùm, vt manè natæ, veſperi intereant [ſ]. Quis vnquam, quæſo, obliuioni dare poterit Alexandrum Lituaniæ Ducem Poloniæ regno inauguratum mirifico procerum conſenſu & ſtudio, ſed gaudio maiore? cùm perpauci Vngaro Regi aut [t] Duci Glogouiæ fauerent, defuncto Alberto Rege, imò viuaci propter acre ingenium in literas & hiſtoriam propenſum, & aulicæ magnificentiæ accommodatum, vt Alexandri fratrem poſſimus agnoſcere, qui ſceptro potitus tanti fecit Muſæum Gracchouiæ ſuæ, vt cùm Vladiſlaus Boemiæ ac Hungariæ Rex Academiam in Peſla Schleſiæ metropoli Iulio ſecundo papa aſſentiẽte inſtitueret, ipſe interceſſerit, & diſpeſcuerit, ne ab Alberti tramite in fouendis ſtudiis domeſticis deſciſceret, néve impunè cederet vicinorũ æmulationi. Verùm Alexander proſperius

ſ Cice. lib. 1. Tuſculan. Ptolemæus lib. 3.

t ann. 1501 Io. Herburt. lib. 19. ca. 1. & 2. de Peſla & Schleſia Mu̇ſterus lib. 3.

rius aliquantò Sarmatum regno primordiũ attulit,icto fœdere in coagulum ſempiternæ amicitię,vt ex Polonis Lituaniſque vnus populus conflaretur, vt Regis vnius maieſtati reuerenter pareret:qui tamen cõmuni vtriuſque populi ſuffragio in Polonia crearetur,æs pari nota ſignaretur, Senatus & iudicia vtrobique more maiorũ decernerent & peragerent. His ſacramento ſtabilitis Rex viciſſim Io. Tarnouio Sramo, Palatinæ cohortis non vltimo,aliiſque proceribus vtriuſque ditionis fore ſpopondit,vt Rempublicã ſartam tectam ab hoſtibus, fultam ſuis inſuper legibus,pro virili cuſtodiret, idque iureiurando firmauit.Et confeſtim in pollicitorũ egregium ſpecimen Io. Laſcio multæ eruditionis antiſtiti Cancellarij munus,id eſt,iuris & iuſtitiæ tuendæ partes credidit.Tartaris Lituaniam incurſantibus,quos dicebat,laruarum modo pueris tantùm ac formidoloſis terrori eſſe,tam auidè obſtitit,vt æger, (licet amicis ac medicis dehortãtibus) ſe regali ſella in caſtra ductu Michaelis Glinſcij impigri equitis diſpoſita ferri iuſſerit, ne ſicca morte ignauo ſimilis occumberet, aut potius vt artubus præpeditis,capite ſaltẽ pugnaret,& demũ ad viginti hoſtiũ milia profligaret. Cuius victoriæ lætitiã in cœlum paulò pòſt leni morte ſecuta, maximo ſuorũ luctu tranſtulit:nactus penè ex animi ſui ſentẽtia & populari voto ſucceſſorem Sigiſmundum [y] fratrem, Iagellonis Cazimiri filiũ, oris gratia ſpectatum: ſed amplius prudentia,quæ ipſi conciliauit Maximiliani Cæſaris, & Venetorum ſocietatis arctiſſimæ vinculum,ſi qua inter Reges inueniri ſine fuco poteſt,idque tanquã trochleis protractũ extendit ad Solimanum Turcam, ne temerè indulgent

y Anno 1506. die 8. Decembris. hic moritur anno 1548. Calẽ. April.

indulgentiorem fortunã eius irritaret, cuius potentiam non minus admirabatur quàm oderat.Valachos inſurgentes ſubmittere ceruicẽ coegit atroci pręlio, cui quidem Io.Tarnouius ſecundus interfuit, ac fœliciter prçfuit,Palatinus exterarũ gentiũ perſpectis moribus ſuos domi & militiæ excolere gnarus.Nec facilè enumerari poteſt,quàm ſæpe Sigiſmundus Rex, vel Moſchorum, vel Germanorũ in Pruſſiam ingenito robore erumpentium,ſanguine glaciem natiuam liquauerit,nuſquã niſi in bellis aſper,tuo ritu, altiſſime Rex, & illius imperij metas lõgius egredi æuo digniſſime: regnauit enim annos quinquaginta duos, & ſi quid menſiũ excurrit. Sigiſmundo autem filio ſceptrũ per manus tradidit,& ſimul ferè decorem corporis atque animi admirandam præſtantiã,dignam prorſus Maximiliani Aug. Auſtriacæ gentis,genero,& Rege æquitatis inter belli vaſtitates non immemore,ac crudeles Tartaros imis Tartaris deuouente ac demittente: vtpote qui nihil niſi Chriſto & quieti Polonicæ conſentaneũ ſpirabat, vnde ſibi multũ gloriæ,nihil conflabat inuidię, necnon Polonis ſuis nõ magis ſuę ipſorum vitæ,quàm hoſtiũ parcere conſuetis in prælio : vt maximè ne non verum oſtenderet, quod Iuno Moneta dixit Romanis contra Pyrrhum Regem Tarentino bello feruentibus, ſed pecunia defectis, fore nimirum vt eis abundè [x] omnis copia ſuppeteret, ſi cum iuſtitia armis incumberent.

x Suidas uerbo μονῆτα.

Quo fit vt præſentire nõ ambiguè poſſimus,aduentu tuo iucundiſſimo Polonici ſoli ingeniũ fœtura varia rerum omnium & prouentuũ laudatũ iri:tametſi præ-

ſentibus bonis ſibi non mediocriter placere iam poſſit: ſi mare præſertim inuiſere tibi libeat piſcium gregibus diues: vt non abs re Apelles Venerem è mari ortam pinxerit fœcunditatis indicio. Quinimo à Sarmatico potius quàm à quolibet Venus naſci debuerat, poſtquam tantoperè illecebris ſuauitatum capitur: cùm vulgò in iſto mari innatet Ambra odorata, vernam Arabię fragrantiam longè pręcellens. Legitur in eodē littore Succinum, gemma pellucida, flaueſcens, cryſtallis Scythicis nobilior, & ad ſiſtendū ſtomachi fluxū expeditior adultæ [x] ętati, vt infantiæ ad amuletū faſcini amoliendi gratia. Inuenitur quoque albicans, naſi iudicio, gratius aureo, vtrumque cum Ambra aduenā dicere liceat ęquoreo, aduectū, Electri nomine, cognitæ quidem facultatis itidem, ſed incognitæ adhuc originis, & maris ſimiliter ſuperbientis pretioſam reiectionem: niſi ex Heliadum lachrymis concretum in Padi ripa putemus cum Græcis, qui Dędalum & pari vanitate alios homines volare cogunt. non enim Francus erat,

Neque Sarmata, nec Thrax,
Qui ſumpſit pennas, medius [y] ſed natus Athenis.

y Iuuenalis Satyra 3.

Cæterùm quia regales venationis delicias tibi cordi eſſe certò ſcio, non potuiſti populum venatui magis deditū & idoneum ſortiri, aut ſyluas ſaltúsque amœniores, aut bobus equíſve feris cōmodiores. Ita tamen, vt cicurari ad vſus humanos nequeāt, epulis tantùm geniti: quamuis Varro exiſtimet [z] oues & capras manſuetas à feris primùm deduci cœpiſſe, inepta fortè genealogia. Nec quoque aſini feri ab Onagris prouenere iſtic ſæpe obuiis, à quibus nomē accepit Onager, belli machina procul

z lib. 2. de re ruſtica. cap. 3. Ammianus lib. 23.

cul lapides eiaculans, & caput ſauciorū ictu vehementi diſplodens: quia aſini feri venatibus agitati retro in fuga lapides calcitratu emittant aduerſus ſequentes, vt Ammiano teſte credi cōuenit [b]. Neſcio, an Polonia tales paſcat populis & Regibus pernicioſos: non arbitror. Noſti, optime Princeps, illud Diogenis rogati, cuius animantis morſum maximè metueret, è feris, inquit, obtrectatoris: è manſuetis verò adulatoris: quia ſcilicet vterque eminus & clanculum linguæ malę ictus cōiicit: aut coram telum venenatū melle linit, non quidem Polonico aut Ruſſio ex violarum medulla ficto, ſed deteriore quàm in Heracliæ Ponticæ orbis agro legatur: vt ego puſillus homo ſępè expertus ſum, parua vtiq; iactura. Tibi tuíque ſimillimis magna imperij mole dulciter laborantibus cautum duntaxat velim, gratiore pręda digniſſimis, ferarum non intra mœnia, ſed in ſylua errantium dānis. Neque enim, opinor, omnes impunè fruentur aduentus tui lætitia, ſed aulicis & comitibus tuis eſcas affatim præbebunt.

a Vegetius de re milit. lib. 4. ca. 29. Laertius in Diogene.

Inſulſum eſſet in Polonia ſalem foſſiē pretermittere marino ſalubriorem, vt placet phyſicis. Nec certè Oxomenus Indię mons, in quo ſal renaſcens in glebas & fruſta cæditur, maius vectigal Regi penderit, etſi potius habeatur, quàm ex gemmis auróve [d]. Non dubito pręterea quin Poloni ſuas diuitias poſthac incipiāt cognoſcere, & te prælucente aurifodinis altius exploratis ęrarium augere, atque priuatorū reditus, vt paſſim in Germania argento etiam eruto, cuius prædia nōnulla extitiſſe Sarmatis audiui. Olim autem propitij an irati dij aurum & argētum negaſſent Germanis, addubito, neu-

b Plinius 31. cap. 7. Tacitus lib. de moribus Germanorum.

tro quidem vtebantur, neutrum ſcrutati. & videre fuit, inquit Cornelius Tacitus, apud illos argentea vaſa legatis & principibus eorũ muneri data non alia vilitate, quàm figulina cenſeri. Vt obiter liqueat legatos populorum à Romanis fuiſſe Xeniis honeſtatos, & pro dignitate remuneratos, quod Vlpian. minimè ſubticuit [c]. Subdit Tacitus interiores Germanos nũmos neſciuiſſe, & ſimplicius permutationem merciũ vſurpaſſe, vt de Græcis in obſidione Troiana Homerus retulit, & de Sarmatis priſcis omnes fatetur [d]: quibus ferri venæ, quę nunc vberrimè ſub humo ſpatiantur, & prodeunt, defuerant, adulto admodũ imperio Rom. Hadriani Aug. temporibus: ita vt haſtas cuſpide viminea munirent. At nunc ſcatet ferri, plumbi, ſulfuríſque, metallis Polonia: necnon cœruleo colore Lazurij, quem pingendo ſuo palatio Deus ſelegit. Namque opũ nidum inuenit Gracchi, Piaſti, aliorúmque Regum ſolertia, ex quo penè numinũ loco Polonis fuere, vt Liber pater vini autor Indis, Ceres frumenti Siculis. Gentius denique Illyriorũ Rex plus debet laudis ſuæ & nominis, quod dedit, Gentianæ [e] herbæ iuxta montiũ cacumen inuentæ, oculis, ſtomacho, & à ſerpente ictis, vtiliſſimæ, quàm regno alioquin ditiſsimo. Nihil animi deſpõdeo, quominus in Poloniæ colliculis apricis ad ortum Solis patentibus videam cum antiquo ſcriptore [f],

Vites lætificas pampinis pubeſcere,
Ramos baccarum vbertate incurueſcere.

Nec ſine aliqua odoris gratia in Septẽtrionis tractu, & polo aquilonio, cum Democritus docuerit odoratiores fieri vites, vbi in Aquilonem obuerſę fuerint, & fructus

c l. diuus. §. pen. ff. de bonis damnat. de Homero uide l. 1. de contrahen. empt.

d Pompon. Mela lib. 2. cap. 1. de ferro Pauſanias libro 1. anno Chriſti 130.

e Dioſcor. lib. 3. cap. 3.

f Refert Cicero libro 1. Tuſculan. Plinius 17. cap. 3.

ctus ſimiliter. Præſertim Henrice Rex, te tanquam proſpero ſydere influẽte, qualis illuxit Probus Cæſar Rom. Pannonibus, poſt pacatas Gallias, non modò vineas ſerere docens, ſed etiam imperans [g]: ſicut Moeſiis aureũ montem militari opera conſitum colendum dedit. tam ſerò ad finitimos Polonorũ vitis notitia & emolumentum eblandito ſolo peruenerat: ſicuti in Franconiam, quæ cum Falerni montis autumno hodie audeat contendere de copia vini & bonitate, pecunia non perinde locuples. Frãcis verò cum primùm è Mœotide palude ac Sarmatia illuc appulere, & moram fecere, gratias habeat oportet, quòd vites alere didicerit. Antea enim ſitim ſedabat Zytho ex frugibus concinnato, aut ceruiſia, quam hodie reſpuit, aut neſcit. Vtebatur præterea fauis aqua dilutis mox expreſſis, & vnà aheno decoctis, quæ potio in doliis ætatem ferebat in Illyrico [h] frequẽs. Iam non decet inauditos quodammodo agros ſterilitatis damnare, ſed periclitari ſæpius mutato ſemine. Nec frigus regionis nos terreat, quo Thracia fertilis eſt, vt æſtu Aegyptus: ne omittam miteſcere terram cultu & hoſpitem plantam demum complecti & fouere, ita vt horti Romanæ vrbis Arabum æmuli caſiam, thus, & myrrham, aluerint [i], donec deſierunt paſtinari, ſepiri, excoli. Ab iiſdem Arabibus aut Indis olim requirebatur ſaccharum valetudinis tantùm cauſa: hodie iam eſt melle in condituris vſitatius, & in Hiſpaniæ aut Siciliæ tuæ permultis arundinetis annuũ rorem fundit. Hedui & Pictones in Gallia media calce [k] vitibus & oleis vtiliſſima fœcundarunt agros. Et profectò cuperẽ à Narbonenſi oleam Palladi ſapientię deę tibi familiariſsimæ

g Eutropius lib. 9. hiſto. Rom. anno Chriſti 282 in chronicis Euſebij.

h Ariſtoteles libro de mirabilibus auſcultat.

i Iunius Columella li. 3. de re Ruſtica cap. 8.

k Plin. lib. 17. cap. 8.

conſecratām, prçcelſe Rex, ad Poloniæ fundos traduci: cum eam propè docilem, ni fallor, ad vitis vſum reddiderim, vt aliqua opera mea & obſequio genti minimum abſtemię, vt aiunt, opitularer [l], interim alienę à Scytharum, Thracū, & Celtiberorum, ineptiſsima voluptate, qui in cōuiuiis ſolebant veſtes vino perfundere: cui [m] nimis ſępiuſculè indulgere cōſueuerunt populi bello conſpicui. Sin minus exorauero agros Polonicos, vt oleas vitéſque tolerare non grauentur, boni conſules propenſionem meam, magnifice Rex, cùm nihil poſsim quàm bene cupere tibi bene cupientibus, Pontificibus, inquā, Palatinis, & Caſtellanis, populóq; tui amātiſsimo, quem tibi gratulātem ad decorē regni ſtipatum ornatúmque obuiam iſſe hinc contēplor, & inde valde recreor. equos hinnientes hinc etiam exaudio, & alterno crurū explicatu fermè ſolennem declarare feſtiuitatem & lętitiam, ſolitóque celerius decurrere, & ſi quid longius, quàm antè prçuolare poſſunt priſtinę glorię intenti. Quippe cum antiqui Sarmatæ equos ſuos in longinqua acturi itinera pridie inedia prępararent, potu tantùm exiguo conceſſo, vt centena & quinquagena millia continuo curſu perficerent. Equidē Sarmatę ſemper equitatu excelluerunt, cui vt Tacitus notat, vix acies vlla obſtiterit [n], peditatu inferiores. Quare magna clade affecti à Romanis in Myſia, vbi lubrico in loco quaſi vincti & inermes defecere: quia, inquit, ſcuto defendi moris non eſt. Sed aliter innuit Sidonius ad Auitum Aug.

— Tibi vincitur illic,
Curſu Herulus, Chunus iaculis, Francúſque natatu,
Sauromates clypeo.

Huic

l Gloſ. can. Moyſen. 32. quæſt. 2.

m Plato dialogo 1. de legibus.

n libro 17. annalium. Marcellinus libro 17. caſtrari equos ibi ait.

Huic verò haſtas longiores placuiſſe alius ſcripſit [o], & Claudianus effuſus in laudes Stiliconis, quem, vt fingit,

Non arcu pepulere Getæ, non Sarmata conto.

Planè volubilis ætas ſurſum verſum omnia circūagens rei militari non ignoſcit. Obliterat quædam, rurſus integrat, aut partim retinet: vti veſtigia & reliquias nobiles deſultoriæ Romanæ alacritatis, vno viro duos equos ducente, & ab altero in alterum velociter inſiliente. niſi potius Romani à Sarmatis hoſtibus, vt multa egregia ab aliis, præſertim ab Hetruſcis [p] ſellam curulem, lictores, & togam pictam acceperunt à Samnitibus arma teláque militaria, quia imitari, quàm inuidere malebant, vt C. Cæſar in Senatu docuit. Certè contra accolas Danubij fluminis gemino equo fretos fronte itidem gemina aciem obiecerūt, quę ἀντίστομος φάλαγξ ab Aeliano vocatur [q]. at equites deſultores ἀμφίππους vocat, ab arte in duos equos agiliter tranſiliendi Sarmatis iampridem recepta: tunc maximè cum ad Danubij ripam ſitim vincendi fineſque ſuos produxerant: vnde Symmachus præfectus vrbis Rom. ad Auſonium poëtam Gallicum, à quo Moſella Belgicus amnis æterna laude donatus turgeſcit, hunc, inquit, clarorum verſuum dignitate Aegyptio Nilo maiorem, Sarmatico Hiſtro [r] frigidiorem, clarioremque hoc noſtro populari fucino reddidiſti. Cæterùm deſultori Romano Iulius Hyginus Auguſti libertus pileum in capite tribuit: & ſubdit alternum equeſtrē ludum ad Caſtoris & Pollucis fratrum ſaçra referri, qui præ amore mutuo & perēni viuere alterna morte creduntur [s]: atque ita ſorte mihi mirum in modum accōmodata. Namque modò

me

o Idē Marcellinus & Claudianus Panegyrico 1. in Stilic.

p Macrob. Saturnal. li. 1. cap. 6. Saluſtius in Catilinam.

q lib. de militarib. ordinibus. ca. 38.

r Symmachus lib. 2. epiſtol. cap. 340.

s Hyginus lib. de fabulis antiq. cap. 80.

me exhilaro propter regnum amplissimum tibi merito obueniens: modò me angore eneco, dum tui discessus recordatio animum subit, ô Henrice Rex Poloniæ, fratrum tuorum Castor amabilis, & Francorum deliciæ ac salus. Solatur nos, fateor, Franciscus frater tuus Alenconum Dux generosus & indole regia apertè prædictus, qui velit possítque Carolo Regi fratri vixdum pacatis rebus meditabundo & laborãti subuenire, & præsto esse: atque senum consilio, qua est prudentia, priusquam iuuenum hastis dimicare. Vereor tamen, si fortuna aliquod diritatis adhuc suæ telum torserit in Galliam (vt solet iugiter magnæ insidiari lætitiæ) ne nos Poloniæ regno inuidere cogamur, cui quidem te propitius Deus obtulit, vt illud tibi.

EX

Ex libris Epigrammatum Stephani Forcatuli Iurisconsl.

AD CAROLVM IX. FRANCORVM Regem, de Heroide Elisabetha Austriaca coniuge Illustrissimi Maximiliani II. Augusti filia.

Candida num gelido Naïs tibi venit ab Istro,
Carole Rex, magna non ditione minor?
Arsit amore tui castissima filia magni
Cæsaris: arctoæ tunc caluere niues.
Mens præ lætitia volitat præsaga futuri,
Et fore sydereum nunciat inde genus:
Cùm tua sit coniunx septem prope nata Triones,
Creditur humana stella reuulsa manu.

DE CATHARINA MEDICEA Regina Francorum.

Astræam Herois post se Catharina relinquit:
Regibus hæc splendet, legibus illa datis.
Spicas illa, sed hæc florentia lilia præfert:
Auro illa, hæc gemmis secula nostra beat.
Illa polum reuolat lites pertæsa molestas:
Dat pacem hæc populo, pax dabit alma polum.
Astræa obliquo Signorum fulget in orbe:
Hæc quoque (si qua piis præmia) sydus erit.
Edita sit ne sacro Charitum de sanguine, quæras:
Vna trium est, animos aut habet vna trium.

H

MAXIMILIANO II. AVG. Cæſari Germanico.

Vt tres Forcatuli nequeant æquare Maronem,
Sic ego te Auguſtis præfero iure tribus.

EPIGRAMMA RECENS:

De Phœnice ab ortu Solis in Septentrionem migrante, ob Henricum Francum Valeſium Poloniæ Regem.

Sarmaticas Phœnix, vt primùm vidit ad oras
Ire Ducem, cuius Gallia luce nitet:
Plus, inquit, tepido gelidus me Viſtula Gange,
Et plus chryſolithis ſuccina gemma iuuat.
Non myrrhæ lachrymis, nigro nec lætor amomo:
Candida quod redolet lilia, melle fruar.
Sed Phœnix metuo Gallo ſub principe fœlix,
Ne pigeat me poſt ſecula certa mori.
Sarmatis ora placet: nunc Indica rura valete:
Cum Sole ipſe meos transfero nempe lares.

FINIS.